Vak 41

83

DE

CELEBRATIONE MISSARUM.

Typis mandavit P. W. van de Weijer.

Vak 41
83.

DE

CELEBRATIONE MISSARUM.

FRAGMENTUM JURIS CANONICI

QUOD HUMILLIME

PIO PAPAE IX

SUPREMI PONTIFICATUS ANNUM VICESIMUM QUINTUM
EXPLENTI
D. D. D.

F. P. VAN DE BURGT,

CAN. THEOL. CAP. ECCL. METROP. ULTRAJECTEN.
RECTOR SEMIN. ARCHIEP. RIJSENBURGEN.

4 L

BIBLIOTHECA
ORD - MIN
FRANCISCUS SOL - SITTARD

BIBLIOTHECA O.F.M. ALLEMANA

ULTRAJECTI
APUD VIDUAM J. R. VAN ROSSUM.
1871.

BIBLIOTHECA
ORD - MIN
FRANCISCUS SOL - SITTARD

IOANNES MARIA MASTAI FERRETTI P. M.

ANAGRAMMA.

MARIAM AMASTI, I, FER ET ANNOS PETRI.

Inv. Mag. Gen. Can. Reg. Ord. S. Crucis. H. v. d. W.

IMPRIMATUR.

ULTRAJECTI,
14 *Octobris* 1871.

J. H. WENSING,
Emer. Prof. Libr. Cens

CHRISTI JESU IN TERRIS VICARIO

S. D. N. PIO IX P. O. M.

Plenus est orbis terrarum fama inauditi mirabilisque beneficii, quo Divina Providentia Sanctitati Tuae annos Pontificatus S. Petri adaequare tribuit et superare; plena sunt Christianorum Tibi fidelium corda et ora faustissimis votis, sed et precibus atque gemitibus, ut Deus Omnipotens nefanda, quae undique Te obruunt mala, misericorditer repellere dignetur; nec est ulla Catholici Tui gregis portio, quae Te beneficiorum insignium datorem, dilectissimum Patrem non veneratur et proclamat.

Novit Sanctitas Vestra, quibus fidei, charitatis, gratique animi dulcissimis vinculis exiguus in Neerlandia grex Sanctae Romanae Apostolicae Sedi, Augustissimo Principis Apostolorum Successori, Pio Papae IX, arctissime conjunctus sit, quantoque in Te exarserit studio in mirabili festivae laetitiae certamine, quo populi christiani inter se contenderunt ad celebrandum solem-

nissima ratione illustrem Pontificatus Vestri Jubilaei Annum, ad colendam tanti Pontificis memoriam, agendasque publice gratias pro Tuis immortalibus in sacram civilemque rempublicam meritis.

Cum appropinquaret auspicatissimus ille dies, mentem venerandi ecclesiastici viri subiit cogitatio, gratulantium animorum festiva signa, cordium amantium magnifica monumenta, exornandi atque complendi scientiarum sacrarum et liberalium artisque christianae delineatis conscriptisque fructibus. Quae res cum mihi praeclara et jucunda visa esset, ex studiis meis, qualiacumque ea sint, Sanctitati Vestrae dedicare et in adspectum lucemque proferre statui disciplinae canonicae fragmentum, quod de Sanctissimo tractat Altaris Sacramento.

Titulis istis, Beatissime Pater, singulari Tuae benignitati mea coepta commendata acceptaque sint humiliter precor; et sic firmiter spero, Te Benedictione Apostolica ea foecundante, effici posse, ut aliquid ad Divini Sacrificii honorem et communem discipulorum meorum utilitatem adferant.

Faxit Deus ut incolatus Tuus diutissime prolongetur, utque abbreviata hora potestatis tenebrarum, orbis catholicus effusis gaudiis Tecum celebrare possit triumphi diem, quem meritis et precibus imprimis dilectissimae Tibi Matris, B. V. Mariae, per Te Immaculatae titulo insignitae, firma fiducia expectamus.

INDEX.

		Pag.
CAPUT I.	Obligatio celebrandi missam ratione ordinis sacerdotalis	2
„ II.	Obligatio celebrandi missam ratione officii pastoralis	6
	§ 1. Personae	7
	§ 2. Dies	15
	§ 3. Locus	21
	§ 4. Officium personale simul et reale. Liberatio ab onere personali	23
„ III.	Obligatio celebrandi missam ratione Canonicatus in ecclesia cathedrali et collegiata . . .	28
	§ 1. Legis origo, ratio, praeceptum. . . .	28
	§ 2. Onus personale. Substitutio.	30
	§ 3. Ritus et Hora	31
	§ 4. Stipendium	33
	§ 5. Causae excusantes.	35
	§ 6. Capitula Provinciae Ultrajectensis. . .	42
„ IV.	Obligatio celebrandi missam ratione dispositionis fidelium	45
	§ 1. Eleemosynae missarum origo, honestas, abusus	47
	§ 2. Cautiones.	51
	§ 3. Justa stipendiorum taxa	55
	§ 4. Onerum missarum acceptio. Pecuniarum et pretii rerum mobilium investimentum.	59

Pag.

§ 5. Officia suscipientium onera missarum. . 68
Art. I. Celebratio personalis 69
„ II. Subministratio totius eleemosynae cum alteri accepta missa celebranda committitur . . . 74
„ III. Applicatio sacrificii 98
„ IV. Missae Species, Locus, Tempus, ab erogante eleemosynam designata 106
§ 6. Onerum missarum immutatio et dissolutio. 118
Art. I. Revocatio donantis. 123
„ II. Condonatio et Reductio. . . 125
„ III. Dotis atque redituum amissio et imminutio. 131
„ IV. Redemptio oneris. Translatio fundationis. Praescriptio . . 137
CAPUT V. Missae eodem die iteratio. 141
§ 1. Antiqua et hodierna Ecclesiae disciplina 141
§ 2. Necessitas. 143
§ 3. Stipendium pro secunda missa . . . 149
„ VI. De consecratione Ecclesiae vel Altaris . . . 157
§ 1. Ecclesiae et Altaris consecratio. Ecclesiae benedictio 157
§ 2. Iteranda consecratio 170
§ 3. Pollutio et Reconciliatio 174
Art. I. Pollutio. 175
„ II. Reconciliatio 179
„ VII. Locus et Tempus Sacrificii. 183
§ 1. Locus Sacrificii. 183
§ 2. Tempus Sacrificii 196

DE CELEBRATIONE MISSARUM.

Pro fide viva, ardentique charitate, qua Christum Dominum in Eucharistia praesentem Ecclesia complectitur, singularem omni tempore curam diligentiamque adhibuit, ut instituta a Domino atque praescripta augustissimi Sacrificii oblatio, eo quo decet religionis cultu et veneratione tractetur. Hinc indefessa sollicitudo ad promovendam sanctimoniam clericorum; hinc venerabilis sacrarum caeremoniarum rituumque apparatus; hinc, ut paucis omnia complectar, miranda ordinationum series, quibus Sancta Apostolica Sedes dignae Sacrificii immolationi prospicit, amandatque procul quodcumque divinum Sacrificium dedeceat. Quae omnia exponere neque hujus loci est neque nostrae disciplinae. Tantummodo de iis, quae ad Juris Sacri titulos *De Celebratione Missarum*, et, *De Consecratione Ecclesiae vel Altaris*, referri commode possunt, disserere statui. Istud autem a me ut accommodate fiat ad divinas et ecclesiasticas leges, votis omnibus opto,

promptus paratusque damnare, revocare, atque delere quod vel aliquantulum repugnet Dei et Ecclesiae sanctis institutis aut legibus.

CAPUT I.

OBLIGATIO CELEBRANDI MISSAM RATIONE ORDINIS SACERDOTALIS.

1. Nimia charitate, qua dilexit nos Christus, non solum Novae Legis saluberrimum sacrificium instituere, sed ejus etiam offerendi praeceptum sacerdotio a se constituto injungere dignatus est; quo fieret ut memoria passionis, quam pro mundi redemptione in cruce sustinuit, ad finem saeculi recoleretur, ex grata ejus recordatione fideles in ardentem Dei amorem et mortificationis exercitium incenderentur, dignum exhiberetur Supremo Numini laudis et adorationis tributum, atque salutare pro vivis et defunctis in dies ageretur propitiatorium et impetratorium sacrificium.

2. Non dubitari id posse, quod Dominus sacerdotibus posuerit sacrificandi legem indixeritque eam cum instituto sacrificio discipulis suis dixit: »Hoc facite in meam commemorationem", ex Tridentino Concilio notissimum est. In *cap.* 1. *S.* 22. traditur, quod Christus *Apostolis .... eorumque in sacerdotio successoribus* per memorata verba *praecepit*, *ut* sacrificium a se institutum *offerrent*, *uti semper Catholica Ecclesia intellexit et docuit.* In *cap.* 2. ejusdem sessionis declaratur: »Si quis dixerit, illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Christum non

instituisse Apostolos sacerdotes; aut non ordinasse ut ipsi, aliique sacerdotes offerrent corpus et sanguinem suum, anathema sit." Quare salva fide catholica infitiari nemo potest, Jesum Christum sacerdotali ordini imposuisse Missae celebrandae praeceptum.

3. Sed insuper ex propositis Domini verbis et Tridentina doctrina: *Christus Apostolis .... eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent, praecepit per haec verba: Hoc facite in meam commemorationem*, in promptu esse videtur conclusio, quemque sacerdotem obligari ex ipsa ordinis susceptione, seu quia sacerdos est et Apostolorum in sacerdotio successor, ut Missae Sacrificium offerat. Celebrare missam status sacerdotalis officium esse videtur; quisque igitur per susceptum ordinem ejus muneris exercendi et colendi gratia constituitur, ut offerat Domino sacrificium ad laudem et gloriam nominis sui, et ad utilitatem totius Ecclesiae.

4. Tamen est dubitatum, an communitati potius sacerdotum quam ipsis singulis membris praeceptum offerendi inhaerere putandum sit, ac propugnatum a nonnullis Doctoribus fuit, coarctandam divinam legem ad eos esse, qui curam animarum habent. Ast s. Thomas eos et erroris convincit, et sacerdotes singulos dicta lege obligari luculenter ostendit, acute scilicet animadvertendo, celebrandae Missae praeceptum non ad unam referri utilitatem animarum, ceu Doctores isti imperite faciunt, sed insimul ac principaliter ordinari in Dei adorationem et laudem. En s. Doctoris praeclara verba: »Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt, quod sacerdos potest omnino a consecratione licite abstinere, nisi teneatur ex cura sibi commissa celebrare, et populo sacramenta praebere. Sed hoc irrationabiliter dicitur, quia unusquisque tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit

opportunum, secundum illud. 2 ad Corinth. 6. 1: *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Opportunitas autem sacrificium offerendi non solum attenditur per comparationem ad fideles Christi quibus oportet sacramenta ministrari, sed principaliter per comparationem ad Deum, cui consecratione hujus sacramenti sacrificium offertur. Unde sacerdoti, etiamsi non habeat curam animarum, non licet omnino a celebratione cessare; sed saltem videtur quod celebrare teneatur in praecipuis festis, et maxime in illis diebus in quibus fideles communicare consueverunt." *Summae p.* 3. q. 82. *art.* 10.

5. Quoties vero sacerdotes celebrare teneantur haud aperte determinat proposita divina lex. Est propterea lex indeterminata comparate ad sacrificiorum numerum. Verum tamen cum debitum celebrandi presbyteris demandatum a Domino fuerit per modum officii seu muneris status sacerdotalis, munus vero quamdam natura sua frequentiam actuum exigat, consequens esse videtur, praecepto minime satisfieri per unum alterumve oblatum sacrificium, sed plura, cum non desunt vires, sacrificia postulari. Quamobrem habita ratione tum muneris seu officii sacerdotalis, tum finis sacrificii, prout a s. Thoma descriptus est, communis sententia s. Doctoris vestigiis insistens, opinatur, quod sacerdotes vi ipsius ordinationis teneantur ter vel quater in anno, idque in praecipuis festis, Missam litare; grave commissuri peccatum qui hoc neglexerint. De diebus tamen festis s. Lig. *Tr. de Euch. n.* 313 judicat, non immerito probabile dici, satis esse sacerdos quotannis ter vel quater sive festo sive alio die Sacris operetur. Vitandi scandali causa teneretur sacerdos, qui una legis divinae adimpletione contentus vivere vellet, debitam distantiam inter sacrificia ponere; quandoque

insuper pluries tribus aut quatuor per annum vicibus celebrare. V. S. Lig. *l. c.*

6. Hactenus de lege divina. Nunc de lege ecclesiastica restat. Duo sunt decreta de sacerdotum offerendi officio. Alterum est Innocentii III in *cap. Dolentes. De celebr. missar.*, ubi redarguit eos, »qui Missarum solemnia vix celebrant quater in anno"; alterum Tridentini Concilii est, quod *s.* 23. *c.* 14. *de ref.* decernit: »Curet Episcopus, ut ii [sacerdotes simplices] saltem diebus dominicis et festis solemnibus.... Missas celebrent." Vult igitur Pontifex Innocentius, quatuor ad minimum vicibus quisque sacerdos per annum celebret; cupit Tridentinum Concilium, ut diebus dominicis et festis solemnibus, aliis etiam diebus Sacrum a presbyteris offeratur. Num autem in his positivo praecepto definitus Missarum numerus sacerdotibus determinetur, atque stati dies ad sacrificandum praescribantur, apud Doctores disputatum invenio. Episcopi imponere profecto id sacerdotibus possunt quod Tridentinum statuit; immo, cum indigentia populi postulat, imponere jubentur. V. Ben. XIV Const. *Declarasti* 16 Martii 1746. Sed mos universalis nostra aetate est, ut quotidie presbyteri sacrificio vacent; isque usus Ecclesiae menti prorsus est conveniens et fidelium bono maxime salutaris. Etenim cum sacerdos rei divinae operatur, Trinitatem adoratione, laude et gloria colit, Angelos laetificat, peccatoribus veniam confert, justos coelesti subsidio ditat et gratia, in purgatorio existentibus refrigerio solatur, Christi Ecclesiam beneficiis cumulat, et sibi ipsi medicinam et remedia praebet contra quotidiana peccata et infirmitates. (cfr. s. Bonav. *Praepar. ad Missam c.* 5.)

CAPUT II.

OBLIGATIO CELEBRANDI MISSAM RATIONE OFFICII PASTORALIS.

7. Divina offerendi sacrificii lege non unum illud continetur litandae Missae praeceptum, cui sacerdotes omnes, quotquot sunt, aequali ratione parere adiguntur. Etenim est et aliud in ea praeceptum non omnes sacerdotes sed illos inter Ecclesiae ministros celebrandi obligatione devinciens, quibus cura animarum incumbit. Id vero mandatum divinum non tantum sacrificare animarum pastoribus jubet, sed etiam pro ovibus sacrificium offerre. Hujus itaque praecepti divini vis ea est, ut, interprete et judice sancta Sede Apostolica (V. Ben. XIV Const. *Cum semper oblatas.* § 2. et Pii IX Const. *Amantissimi*), quibus animarum cura demandata est, non modo sacrificium Missae celebrare, sed illius etiam fructum medium pro populo sibi commisso applicare debeant, nec illud pro aliis applicare, aut pro hujusmodi applicatione eleemosynam percipere possint.

8. Conditae a Deo legis clarum argumentum Doctores reperiunt in *Ep. ad Hebr. V.* 1. 3. ubi Spiritus Sanctus docet incumbere pastoribus, ut pro peccatis et pro populo sacrificium offerant: »Omnis Pontifex ex hominibus assumptus constituitur in his, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis... Et propterea debet quemadmodum pro populo ita etiam et pro semetipso offerre pro peccatis.“ Est ejus legis aliud certissimum argumentum in decreto Concilii Tridentini *s.* 23. *c.* 1. *de ref.* edicente, — *praecepto divino mandatum* esse *omnibus*, *quibus animarum cura commissa*

est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre; reliqua.

9. Divino huic praecepto accesserunt declarationes S. Sedis constitutionesque, quibus partim expositum, partim ampliatum fuit. Articulatim de his disseremus facta materiae partitione in quaestiones primum de personis, quae huic obligationi obtemperare debent, post de diebus in quos obligatio incurrit, deinde de loco hujus sacrificii, tandem de personali obligatione et de liberatione ab eadem.

§ I.

Personae.

10. *Generalis determinatio.* Apte ut definiatur quinam ii sint, quos Tridentini Concilii Patres in proposito decreto constrictos esse dicunt pro grege sacrificare, ipsum decretum diligenter perlustrandum est. Attente cum aspicitur, haec in rem nostram colligi posse censemus. Decretum primo proponit, quaenam officia in cura animarum, quam spectat, contineantur, seu quaenam, ex divina lege illorum officia sint, quibus cura animarum commissa est. In cura illa animarum contineri, seu curatorum officia esse, docet, *oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre*, et alia, quae enumerat, peragere. Deinde concludit, non posse istis officiis satisfacere, qui non resident; indicatque continuo generalibus terminis, quinam ut illis officiis satisfaciant residere teneantur. En decreti verba: »Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre; verbique divini praedicatione, sacramentorum administratione, ...

pascere...., quae omnia nequaquam ab iis praestari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt: sacrosancta Synodus eos admonet...." Quamobrem recte deduci ex his posse autumamus, offerre pro grege eos obligari, quibus animarum cura commissa est, seu illos, qui *proprias oves* habent; quosque decretum recenset (statim exhibebitur textus) velut subjectos *residentiae* legi. Illos, dicimus, qui proprias oves habent. Quod ideo peculiari mentione dignum est, quoniam multi numero Ecclesiae ministri sunt, qui communiter animarum cura gravati dicuntur, quin tamen habeant oves proprias. Tales igitur, quibus propriae oves non sunt, immunes putentur a proposita divina lege. Dictum insuper est: quosque decretum recenset veluti subjectos residentiae legi. Quinam sunt illi? »... declarat sacrosancta Synodus, omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis ac Cathedralibus Ecclesiis quibuscumque, quocumque nomine et titulo praefectos,.... obligari ad personalem in sua Ecclesia vel Dioecesi residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur..... Eadem omnino,... de curatis inferioribus, et aliis quibuscumque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum, curam animarum habens, obtinent, sacrosancta Synodus declarat et decernit."

In constitutionibus Romanorum Pontificum, Benedicti XIV *Cum semper oblatas*, et Pii IX *Amantissimi Redemptoris*, de hoc officio agentibus, dicto oneri adstricti dicuntur, qui *actualem animarum curam* exercent, et, qui *actu exercent curam animarum.*

11. *Specialis determinatio.* Haec cum firmiter mente tenemus, insimulque sacrarum Urbis Congregationum decreta attendimus, pressius dici posse censemus: ad celebrandum pro ovibus suis teneri omnes, qui actu

praesunt ecclesiae Episcopali seu Dioecesi, omnesque illos, qui actu ecclesiae curatae seu parochiali praefecti sunt.

Primo, qui actu Dioecesibus praesunt; id est, Episcopi Dioecesani, et alii quocumque nomine aut titulo Episcopali ecclesiae seu Dioecesi praepositi. Quibus postremis verbis indicentur, Administratores, Vicarii Apostolici, alio nomine quocumque aut titulo insigniti, qui constituuntur vel quia sedes Episcopalis vacat, v. g. mortuo, deposito Episcopo; vel etsi non vacat, quia Episcopus suspensus est, vel inhabilis evasit. Hi actu ecclesiae Episcopali praesunt; Episcopi locum occupant, officium actu exercent, cui memoratum onus incumbit.

Officio, de quo disserimus, Episcopi obtemperare debent statim a capta Ecclesiae possessione. Sacra Rituum Congr. interrogata: »22. Episcopi tenenturne ad applicationem Missae pro ovibus post adeptam possessionem, an statim ac electi sunt in Consistorio", respondit: »Ad 22. Post adeptam possessionem." *Marsorum* 12 *Nov.* 1831, apud Gardellini. Ed. 3. n. 4669.

Secundo, qui actu Parochiis praesunt, sive sint saeculares sive regulares, sive beneficio careant aut fruantur, sive denominentur parochi, plebani, pastores, succursalistae, sive alia designentur appellatione. Officii, non nominis, ratio habenda est.

Tertio, qui actu Parochiis praesunt ut Vicarii, constituti nimirum vel quia parochus non residet (B. XIV. Const. *Cum semper oblatas* § 4), vel quia habitualis cura est penes rectorem principalem (*l. c.*), vel quia parochus illiteratus et imperitus est, aut inhonestae vitae (*l. c.*), vel quia vacat ecclesia parochialis (*l. c.*), vel aliis de causis (*l. c.*). Hos ecclesiastica lex vicarios nuncupat, et Pontifex Benedictus diserte subjectos declarat oneri, de quo agimus. Nonnunquam Deservitores, aut alio no-

mine vocantur; quod equidem ipsius rei nihil refert. »Quum.. sacrum Tridentinum Concilium, ne animarum cura negligatur, non uno in loco Episcopis mandet, ut quotiescumque opus fuerit, idoneos vicarios cum certorum fructuum assignatione ad eandem curam exercendam eligant ac deputent, uti videre est in *sess.* 6. *c.* 2. *sess.* 7. *c.* 5. *et* 7. *sess.* 21. *c.* 6. *sess.* 25. *c.* 16*;* non raro autem eveniat, ut aliqua Ecclesia Parochiali vacante, vicarius pariter ad implenda hujusmodi Ecclesiae onera, usque ad novi Rectoris electionem, ab Episcopo deputari debeat, eodem Concilio Tridentino id jubente *sess.* 24. *c.* 18 *de Reform;* nonnulli ex hujusmodi vicariis nituntur se ipsos a praedicta obligatione subtrahere, vel ex eo quod, habituali cura penes alium seu alios residente, ipsi actualem dumtaxat exerceant; vel quod ipsi sint ad nutum amovibiles, vel ad breve tempus hujusmodi curae sint addicti: ut nihil hic loquamur de Parochis Regularibus, qui a praedicta applicatione Missae pro populo nonnumquam alienos se ostendunt. Itaque mens Nostra, et sententia est, sicuti etiam pluries a praelaudatis Congregationibus judicatum fuit ac definitum, quod omnes et singuli, qui actu animarum curam exercent, et non solum Parochi, aut Vicarii saeculares, verum etiam Parochi, aut Vicarii Regulares, uno verbo, omnes et singuli, de quibus supra dictum est, atque alii quicumque etiam specifica et individua mentione digni, aeque teneantur Missam Parochialem applicare pro Populo, ut praefertur, ipsorum curae commisso." B. XIV. *l. c.* § 4.

Quaesitum ex s. Congr. Concilii fuit, utrumne Praelati seu Superiores Regularium obligentur sacrificare pro suis subditis regularibus; ast s. Congregatio nec affirmando respondit nec negando, sed distulit resolutionem. V. Lucidi. *De visitatione ss. Liminum. vol.* 1. *p.* 424.

12. Quemadmodum ex decreto Tridentino et documentis sedis Apostolicae monstratum fuit, quinam praecepto divino, in quo versamur, subjecti sint, sic itidem iisdem ex fontibus, quinam sint ab eo immunes, assignari posse videntur.

Ab onere liberi dicantur:

Primo, Episcopi qui dicuntur in partibus infidelium, Administratores, Praefecti, Vicarii Apostolici, qui actu non praesunt Ecclesiae Cathedrali seu Dioecesi canonice erectae, etiamsi aut Episcopo dioecesano auxiliares sint, aut designatum aliquod territorium, Missionem, Vicariatum Apostolicum cum jurisdictione quasiepiscopali regant. V. Decretum S. Congr. de Ppgda Fide statim exhibendum. Pariter liber dicatur Vicarius Generalis; quin imo Vicarius Capitularis exemptus ab hoc praecepto declaratus est praelaudato decreto S. C. Rituum apud Gardellini sub n. 4669. »23. Vicarii capitulares tenenturne ad hanc Missae applicationem, Sede vacante. Ad. 23 negative."

Secundo, Rectores principales; hi habitualem exercent non actualem curam.

Tertio, Capellani seu Sacellani ad suppetias Parocho ferendas assumpti (V. Lucidi *l. c. p.* 427). Item Rectores seu Capellani asylorum pro pauperibus, carcerum, nosocomiorum, et similium locorum, etiamsi indepententes a Parocho ministerium exerceant. De his rectoribus seu capellanis Antistes Dublinensis obtulit anno 1860 speciale postulatum S. Congregationi de Ppgda Fide, quae rem sacrae Congr. Concilii definiendam remisit. Animadverterat Antistes, quod illi capellani »ab Episcopo nominantur, et a Gubernio stipendium accipiunt. Omnium, qui praedictis locis detinentur, curam gerunt, eisdemque ecclesiastica sacramenta, uno excepto matrimonio, administrant. Haec autem omnia praebent independenter a

parocho." Cum itaque disceptatum esset, an istiusmodi capellani ad Missam pro suis subditis applicandam tenerentur, re proposita in Dublinen. *Missa pro pop.* 2 *Junii* 1860, Sacra Congr. Concilii respondit: »non teneri." Pariter Missionarii, nisi praesint Parochiae canonice erectae (V. decretum J. C. de Prop. Fide mox adducendum). Ratio autem ob quam recensiti viri ecclesiastici immunes dicantur a memorato praecepto, in his esse putetur, quia videlicet neque Dioecesi, neque Parochiae canonice erectae actu praepositi sunt. Propterea non obligantur sive ex justitia pro commissis sibi fidelibus sacrificare, sive ex charitate. Non ex justitia, etenim non exercent eam animarum curam, non gerunt officium, ex quibus obligatio justitiae in Episcopis Dioecesanis, in Parochis, in caeteris supra designatis nascitur. Non ex charitate; haec virtus quum supponat necessitatem proximi ad consequendam aeternam salutem, vel ad servandum saltem justitiae statum; talis vero necessitas comparate ad sacrificii applicationem certo reperiri non posse videtur.

13. Haec quae praecedunt, collegimus praecipue ex causa Surinae seu Suriname judicata in Sacra Cong. de Ppgda Fide anno 1863. Proposita dubia erant:

1. »An Vicarii Apostolici, et missionarii quavis ratione animarum curam aliquo in loco determinato assumentes, omnes indiscriminatim *ex justitia* teneantur missam *pro populo* diebus festis applicare?

Et quatenus negative

2. »Quibusnam Vicariis Apostolicis, et missionariis hujusmodi obligatio ex justitia incumbat?

3. »An de illis, qui non tenentur hac obligatione ex justitia dicendum sit *decere ex charitate*, aut *teneri ex charitate*, ut diebus festis missam applicent *pro populo?*

4. »An, quatenus admittatur formula *teneri ex charitate* hoc intelligendum sit de obligatione sub gravi?

5. »An Vicarius Apost. Surinamensis aliique illius vicariatus missionarii obligentur ad missam pro populo applicandam?

6. »An, tali obligatione admissa, rescriptum editum favore vicariatus Curacao extendendum sit ad vicariatum Surinamensem?"

Ad dubia haec Emi Patres die 23 Martii 1863 responderunt:

»Ad 1. Negative, dummodo non agatur de locis, in quibus sedes episcopalis ac parochiae canonice erectae jam sint, atque ad ea vicarius Apostolicus, ac missionarii missi sunt, ut legitimorum pastorum vices gerant.

»Ad 2. Provisum in primo.

»Ad 3. Vitandam esse locutionem *teneri ex charitate*, idque ita ut nulla propriae dictae obligationis significatio appareat.

»Ad 4. Provisum in tertio.

»Ad 5. Negative, et dentur decreta 28 Januarii 1788, et 5 Febr. 1803.

»Ad 6... Provisum in 5." Vide Lucidi *l. c. p.* 429, et *Acta sedis Ap. vol.* 1. *p.* 407. 8.

14. Qua autem ratione dicitur istud, lege scilicet divina cogi parochos, ut pro ovibus sacrificium offerant, cum tamen sola lege ecclesiastica parochi creati et constituti sint?

Id ut intelligatur sedulo animadverte, ipsum officium pastorale a Deo esse, eidemque ex divino instituto, praeter alia munia, inhaerere onus applicandi pro ovibus. Quod significari Doctores aiunt in verbis Apostoli: »Omnis Pontifex ex hominibus assumptus constituitur in his, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro

peccatis... Et propterea debet quemadmodum pro populo ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis." Ad *Hebr.* *V.* 1. 3. Pastorale officium, idque in sua jurium et officiorum plenitudine, Deus uni contulit Episcopatui; parochis non contulit, quippe qui parochos non creavit. Ecclesia instituit parochos; hisque pastorale officium, non in sua plenitudine, sed certis servatis limitibus, communicavit. Abest exempli gratia pastorali eorum officio supremi sacri ordinis potestas, cum Episcopi non sint; abest pariter jurisdictionis potestas in foro externo; hanc enim illis Ecclesia non concessit. Quaedam itaque munia, quamdam veluti partem pastoralis officii obtinent, velut oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre; verbique divini praedicatione, sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere." (V. decret. Trid. *l. c.*). Potuisset S. Sedes et etiamnum potest profecto, semotis aliis insuper muniis, v. g. semoto onere celebrandi pro grege, officium curati inferioris minori obligationum copia continere. Haud fecisse constat, cum Tridentino decreto edoceamur incumbere curatis ex praecepto divino, ut pro ovibus sacrificium offerant, et caetera proposita. Quapropter divino praecepto parochi jubentur pro ovibus suis sacrificium offerre, quamquam ipsi parochi ab Ecclesia inventi et constituti sint. Istud siquidem onus ipsi pastorali officio, a Deo instituto, inhaeret. Ex pastoralis officii quadam parte, Ecclesia confecit munus curati inferioris; in ea parte comprehenditur saepe memorata obligatio. Idcirco, quisquis sive in Occidente sive in Oriente isto munere actu fungitur, hac obligatione tenetur, nisi Summus Pontifex ab eo onere ipsum liberet.

§ II.

Dies.

15. Sequitur jam videamus, quoties seu quibus diebus recensiti Ecclesiae ministri applicare sacrificium pro grege suo debeant.

Est hic praeceptum legis divinae distinguendum a praecepto legis ecclesiasticae. Ad legem divinam quod attinet, non determinat ea expresse definitum sacrificiorum numerum. Eatenus indeterminata est; et neque decretum Tridentinum, neque Apostolicae, quae de hoc officio pastorali sunt, declarationes et constitutiones, explicasse videntur quoties ex divino praecepto animarum curam habentes celebrare pro grege suo debeant. Hoc vero dici certe potest, uno videlicet singulari actu non satisfieri legis divinae praescripto; nam obligatio celebrandi pro ovibus *officii* instar pastoribus inhaeret. Officium autem sponte seu natura sua involvit actuum frequentiam. Munus igitur divina lege constitutum celebrandi pro populo, per se ipsum exigit, ceu aiunt Doctores, ut aliquoties per annum pastores pro grege missam applicent, quamvis de majori minorive sacrificiorum numero Doctorum sententia non congruat. V. S. Lig. *l. c. n.* 324. Id interim dubitari nequit, eum scilicet, qui legem ecclesiasticam adimplet, eumdem et legem divinam implere.

16. Ad legem ecclesiasticam quod spectat, haec parochis praecipit et recensitis supra vicariis Ecclesiae Occidentalis, tum saecularibus tum regularibus, et sive pinguibus reddibus dotati sint sive ipsis congruis redditibus destituti, ut singulis diebus Dominicis et Festis pro populo celebrent. »Nos, ita declarat B. XIV *l. c.* § 6.,

id unum in praesenti suscepimus decernendum, quando nimirum iidem pro Populo celebrare et applicare teneantur; et quamvis compertum habeamus id, quod alias a Congregatione Concilii responsum fuit, Parochum nempe pinguibus redditibus dotatum quotidie pro Populo celebrare et applicare debere: eum vero qui uberioribus hujusmodi redditibus non gaudeat, festivis tantum diebus id ipsum praestare teneri; quum tamen pariter Nobis perspectae sint tum controversiae supra hoc ipso exortae;..... Idcirco opportunum censemus Fraternitatibus Vestris declarare, Nobis abunde satisfactum fore, Vobisque proinde satis esse posse, dum ii, qui animarum curam exercent, sacrificium Missae pro Populo celebrent atque applicent in Dominicis aliisque per annum diebus festis de praecepto."

Aetate Benedicti XIV major quam nostra aetate numerus est dierum festorum de praecepto. Servandus erat elenchus, quem exhibet Urbani VIII Const. *Universa per orbem.* id. Sept. 1642. a) Pedetentim festorum numerus

---

a) „§ 2.... Apostolica auctoritate decernimus et declaramus, infrascriptos dumtaxat dies pro festis ex praecepto colendos esse,....; Dominicos scilicet dies totius Anni, Nativitatis D. N. Jesu Christi, Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis cum duabus sequentibus feriis, Ascensionis, Pentecostes cum duabus pariter sequentibus feriis, SSmae Trinitatis, Solemnitatis Corporis Christi, et Inventionis Sanctae Crucis, necnon festivitatum Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, et Nativitatis Deiparae Virginis, Dedicationis S. Michaelis Archangeli, Nativitatis S. Joannis Baptistae, S. S. Petri et Pauli, S. Andreae, S. Jacobi, S. Joannis, S. Thomae, S. S. Philippi, et Jacobi, S. Bartholomei, S Matthaei, S. S. Simonis, et Judae, et S. Matthiae Christi Domini Apostolor. Item S. Stephani Protomartyris, S. S. Innocentium, S. Laurentii Martyris, S. Sylvestri Papae et Confessoris, S. Jo-

auctoritate Apostolica imminutus est, eo tamen posito moderamine, ut, dum populus liberatur ab officio audiendi missam et abstinendi a laboribus servilibus, nihil in Ecclesiis immutetur quoad consuetum divinorum officiorum ordinem et ritum, utque omnia eodem prorsus modo peragantur, quo peragi solebant cum integra vigebat Urbana constitutio. Mansit itaque lex, ut illis diebus sacrificium applicetur pro grege. Cum tamen de hoc dubitatum esset, ususque invaluisset non applicandi pro populo, Pontifex noster, Pius P. P. IX, Constitutione *Amantissimi Redemptoris* declaravit, statuit atque decrevit, »parochos, aliosque omnes animarum curam actu gerentes sacrosanctum Missae sacrificium pro populo sibi commisso celebrare, et applicare debere tum omnibus Dominicis, aliisque diebus, qui ex praecepto adhuc servantur, tum illis etiam, qui ex hujus Apostolicae Sedis indulgentia ex dierum de praecepto festorum numero sublati, ac translati sunt, quemadmodum ipsi animarum curatores debebant, dum memorata Urbani VIII Constitutio in pleno suo robore vigebat, antequam festivi de praecepto dies imminuerentur, et transferrentur."

Addit Pontifex: »Quod vero attinet ad festos translatos dies id unum excipimus, ut scilicet quando una cum solemnitate divinum officium translatum fuerit in Dominicum diem, una tantum Missa pro populo sit a parochis applicanda, quandoquidem Missa, quae praecipua divini officii pars est, una simul cum ipso officio translata existimari debet."

---

sephi etiam Confessoris, et S. Annae Deiparae respective Sponsi, ac Genitricis, Solemnitatis omnium Sanctorum atque unius ex principalioribus Patronis in quocumque Regno, sive Provincia, et alterius pariter principalioris in quacumque Civitate, Oppido, vel Pago, ubi hos Patronos haberi, et venerari contigerit."

17. Non exigua igitur oneris mitigatio ea est, quam curatis inferioribus Archid. Ultrajectinae collatam a s. Sede fuisse Synodus Dioecesana I refert: »Peculiari favore SS. D. N. Pius Papa IX... benigne concessit et statuit, satis esse, ut Archidioecesis Nostrae Pastores sacrificium pro parochianis applicent diebus Dominicis et sex solemnioribus festis tantum, Nativitatis scilicet, Circumcisionis et Epiphaniae Domini, Assumptionis B.B. Mariae Virginis, ss. Apostolorum Petri et Pauli, et Omnium Sanctorum.''

Qui vero Apostolica auctoritate solvitur ab obligatione applicandi nonnullis diebus pro populo, is propterea non putetur solutus ab officio celebrandi iis diebus in parochiali ecclesia, ut populus sacro assistere possit; quo enim die populus debet missam audire, eo parochus debet celebrare pro grege, nam et propterea ad eam parochiam missus est: qui »curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, missas celebrent.'' Trid. Conc. *s.* 23. *c.* 14. *de ref.* cfr. S. Lig. *l. c.*

18. De Episcopis dioecesanis, atque aliis, qui quocumque nomine aut titulo in Ecclesia Occidentali Episcopalibus Ecclesiis praepositi sunt, Sancta Sedes non determinavit adhuc diserte dies, quibus pro Dioecesi missam applicent. (Lucidi *l. c. p.* 423). Tenentur, ait S. Lig. *l. c. n.* 326, diebus Dominicis et festis, non autem singulis diebus, ceu nonnemini placuit, pro populo sacrificium offerre.

19. De Ecclesia Orientali hoc prae oculis sit, eam videlicet propriis dirigi tum legibus tum consuetudinibus, nec obstringi Ecclesiae Occidentalis praeceptis, nisi vel rei natura, vel expressa voluntas Sanctae Sedis id exigat. Rei autem natura, id est in hoc negotio, natura officii pastoralis requirit tantum actorum quamdam seu sacrificiorum frequentiam, sed non assignat determinatos

dies (cfr. *Acta vol. I. p.* 402). Nec Sancta Sedes, ut in his obediatur legi Occidentalis Ecclesiae, postulat ab Orientalis Ecclesiae ministris. In Ecclesia igitur Orientali, qui actu praesunt Dioecesibus vel Parochiis canonice erectis, non tenentur in his obtemperare praecepto legis occidentalis, sed legi divinae subjiciuntur, ideoque aliquoties per annum applicare missam pro populo debent; insuperque legi particulari et rationabili consuetudini, si qua apud eos vigeat, parere obligantur. Haec probata sint omnibus ex sequenti decreto s. Congr. de Propaganda Fide. Quaesitum ab ea fuit:

1. »An obligatio applicandi missam pro populo, quae secundum jus Ecclesiae Occidentalis imposita est parochis, aliisque ecclesiasticis viris animarum curam obtinentibus, locum similiter habeat pro iisdem personis de ritu Orientali?

Quatenus affirmative:

2. »Circa determinationem dierum an debeant observari leges, ac consuetudines rationabiles, quae forte vigeant in aliquibus dioecesibus dicti ritus?

3. »In defectu harum legum et consuetudinum an hujusmodi determinatio fieri debeat ad normam et ex omni parte juxta leges occidentales?

4. »An ob graves causas et circumstantias fieri locus queat alicui reductioni dierum praefinitorum a legibus occidentalibus, atque etiam totali dispensationi cum obligatione tamen orandi pro populo in illis ipsis missis, quae pro ipso applicandae forent?"

Emi Patres die 23 Martii 1863 rescribendum esse censuerunt:

»Ad 1. Affirmative, reformato dubio, ut sequitur: »An obligatio missam applicandi pro populo, quae secundum jus Ecclesiae Occidentalis imposita est Episcopis et Pa-

rochis, locum similiter habeat pro iisdem personis de ritu Orientali?

»Ad 2. Affirmative.

»Ad. 3. Negative.

»Ad. 4. Provisum in tertio, et ad mentem. Mens est, quod, data opportunitate, manifestetur Episcopis Ecclesiae Orientalis obligatio, quae etiam in eadem Ecclesia incumbit animarum pastoribus, applicandi aliquoties missam pro populo, adeoque quod pertinet ad dierum determinationem, exponatur ipsis Ecclesiae Occidentalis disciplina, ut lumen exinde sumant, quo dijudicare valeant, usque dum eadem disciplina suis Dioecesibus convenire possit, itemque ut proponant quocumque casu S. Sedi temperamenta, quae magis necessaria censeantur."

»Et facta relatione SSmo D. N. Sanctitas Sua die 29 Mart. 1863 resolutiones S. Cong. in omnibus approbavit." V. Lucidi *l. c. p.* 430. et *Acta l. c. p.* 409. Haec Sanctissimi Domini approbatio complectitur etiam resolutiones, quas proposuimus sub n. 13.

20. Ex iis quae hactenus docuimus consequens est, cuique Dioecesi, cuique Parochiae canonice erectae deberi sacrificium, a respectivo proprio pastore applicandum. In Ecclesia Occidentali quisque pastor applicare pro grege debet Dominicis et festis diebus; in Orientali aliquoties saltem singulis annis. Haec regula cum attenditur, apparet sponte, obligari pastorem, qui duabus praeest Dioecesibus, duabus Parochiis, vel Dioecesi et Parochiae, ut dictis diebus duas applicet missas, unam videlicet pro uno, alteram pro altero grege. Sed in hac re id quod sequitur necessario animadverti debet. Possunt uno sub pastore duo greges ita uniri, ut ambo distinctae Dioeceses aut Parochiae maneant. Uniti tunc dicuntur *aeque principaliter*, et, *subjective*. Possunt etiam ea ratione uniri, ut

ex ambobus una fiat Dioecesis, una Parochia; quo in eventu uniti dicuntur unione *plenaria et extinctiva tituli.* In unionis instrumento determinatur, utrolibet modo facta unio sit. Cum autem prima ratione, id est, aeque principaliter aut subjective duae ecclesiae unitae sunt, pastoris officium est, duo sacrificia pro distinctis Parochiis aut Dioecesibus applicare; cum secunda ratione, unam tantummodo missam applicare debet. Vide resol. S. C. C. sq. num.

§ III.

Locus.

21. Sacrificium, quod debetur Parochiae, litandum in parochia, et in ipsa quidem ecclesia parochiali esse; quod autem Dioecesi debetur, offerendum esse in ecclesia Cathedrali vel Dioecesi, haud ambigi posse sentio.

1. Id imprimis significari videtur ipso Tridentini Concilii capite primo *sess.* 23. Cum enim, ceu supra vidimus, declaret et definiat, non posse munera offerendi sacrificium pro ovibus, praedicandi verbum Dei, administrandi sacramenta, ab iis impleri, qui non resident, satis aperte docet, oportere ut in residentiae loco muneribus hisce satisfiat. Atqui residentiae locus proprius in quo quisque animarum curam habens, sacrificium offerre, verbum Dei praedicare, sacramenta administrare debet, parochis non tantum Parochia sua, sed pro muneribus illis ipsa parochialis ecclesia est; praepositis Dioecesi, Dioecesis vel Cathedralis ecclesia. Idem manifestius, si potest magis clare, in subsequentibus verbis sigillatim de pastoribus tum primi ordinis, tum curatis inferioribus habetur. »Declarat sacrosancta Synodus, omnes Patriar-

chalibus, Primatialibus, Metropolitanis ac Cathedralibus Ecclesiis quibuscumque, quocumque nomine et titulo praefectos...; obligari ad personalem in sua Ecclesia vel dioecesi residentiam, *ubi injuncto sibi officio defungi teneantur.*" Dicti igitur Praelati in ipsa sua Ecclesia vel Dioecesi missam litare pro populo debent. De caeteris curatis haec statuit: »Eadem omnino... de curatis inferioribus, et aliis, quibuscumque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum, curam animarum habens, obtinent, sacrosancta Synodus declarat et decernit; ita tamen, ut, quandocumque eos, causa prius per Episcopum cognita et probata, abesse contigerit, Vicarium idoneum, ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquant." Jubet itaque lex, ut Vicarius eo loci defungatur muneribus absentis, id est, ut sacrificium pro ovibus offerat, praedicet verbum Dei, sacramenta administret. Quod novo luculenti indicio est, Missam pro populo offerri debere in loco residentiae, ideoque in Ecclesia parochiali.

2. Quod in decreto Tridentino inveniri putamus, id etiam esse in Const. B. XIV *Cum semper oblatas* opinamur. Etenim sacrificium pro grege a parochis offerendum onus vocat parochialis ecclesiae, atque Vicarios, qui parochi absentis, impotentis, etc, locum tenent, Missae diebus Dominicis et festis pro populo applicandae adstrictos esse declarat. V. § 4. Haec autem monstrant, esse Parochiam, ipsamque parochialem quidem ecclesiam, locum hujus sacrificii.

3. Postremo Sacrae Congr. Concilii decreta de curatis inferioribus, omne dubium, si quod remaneat, penitus tollere videntur. In causa Lucen. *Applicationis missarum* Sacrae Congr. Concilii propositum fuit dubium: »An Parochi duabus ecclesiis parochialibus praepositi, teneantur Dominicis aliisque festis diebus missam in unaquaque

ecclesia, sive per se sive per alios applicare pro populo in casu." S. C. C. respondit die 12 Martii 1774: »Affirmative, excèptis tantum parochiis unitis unione plenaria et extinctiva, et scribatur Episcopo juxta Instructionem." Instructio autem continebat: »Sacram Congregationem numquam dubitasse, quod Parochi teneantur applicationi supradictae Missae pro populo, singulis diebus Dominicis et festis, in unaquaque ex Ecclesiis parochialibus, quae vel aeque principaliter, vel subjective conjunctae sunt atque incorporatae; cum applicatio unius tantummodo missae pro populo, locum habeat in iis parochialibus, quae invicem adeo unitae et conjunctae et incorporatae sunt, ut ex duabus una prorsus cum extinctione tituli alterius evaserit." Lucidi *l. c. p.* 426 et *Acta l. c. p.* 9.

22. Ex his consequens est, ut, cum parochus aliusve curatus duabus praeest ecclesiis parochialibus, non unitis plenarie et extinctive, debeat in una ecclesia sacrificare pro populo per se ipsum, in alia per alium. Quod si facultate pollet bis offerendi sacrum, debet in utroque celebrare per se ipsum, nisi legitime excusetur.

§ IV.

Officium personale simul et reale. Liberatio ab onere personali.

23. Sunt in genere officiorum alia, quae expleri prorsus ab eo debent cui imposita sunt, ab alio ejus nomine non valent; sunt alia, quae pro arbitrio explentur aut ab eo, qui officium tenet, aut ab alio ejus nomine; sunt tandem, quae explere, qui his subjecti sunt, per se ipsos debent, impediti autem implere per alium tenentur. Triplex igitur officium. Unum *mere personale*, quod

nempe ab eo solo, cujus est, perfici valet, desinens propterea obligare cum aut impos ille evasit aut alia legitima ratione a perfungendo officio excusatur. Exempla sunt, obligatio celebrandi Missam suscepti sacerdotii causa, recitandi Breviarium, audiendi Missam, jejunandi. Alterum *simpticiter reale;* cujus subjectum curare debet, ut, quod officium praecipit, agatur; agere autem proxime potest actu sive proprio sive alieno. Hujus generis est officium dandi eleemosynam. Tertium *personale simul et reale*, sive *mixtum* ex utroque, postulans ut ab eo ipso, cui impositum est, opus peragatur; eo autem sive licite sive illicite abstinente, transferatur in alium. Ad istud genus officiorum pertinet obligatio, de qua disserimus. V. Lucidi *l. c. vol.* 1. *p.* 433. Verhoeven *Diss. Can. n.* 49 *sq.* et *De Praxi p.* 8. S. Lig *l. c. n.* 326.

24. Efficitur ex his, sic esse Curatis impositum officium celebrandi missam pro ovibus, ut, non legitime impediti, personaliter perfungantur eodem; abstinentes tamen, alium sacerdotem, qui eorum nomine applicet, pro se substituant. Aliis verbis, officium, de quo agimus, *personale simul et reale* est.

Primo id abunde ostendit propositum decretum Tridentinum *sess*, 23. *c.* 1. *de reform.* Etenim eos qui non resident, huic muneri satisfacere non posse declarans; et, curatos primi et secundi ordinis compellens ad residentiam »ubi injuncto sibi officio defungi teneantur"; totidem verbis indicat ab illis ipsis, id est *personaliter*, officium hoc explendum esse. Adjungens ulterius, ut, cum praepositi ecclesiarum cathedralium abesse sibi proponunt, »interea meminerint discessuri, ita ovibus suis providendum, ut, quantum fieri poterit, ex ipsorum absentia nullum damnum accipiant"; cum autem curatos inferiores abesse contigerit, ut »Vicarium idoneum, ab

ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquant", palam edocet, obligationem praestandi ea officia, quae pastoribus proposuit, (»oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre" etc.), non suspendi cum absentes sunt, sed impleri interea per alium debere, id est, non tantum eam *personalem sed simul realem* esse.

Secundo idem pandunt declarationes S. C. Concilii. In uno adducendo decreto satis argumenti erit. »Marianus Verhoeven, Protonotarius Apost. Juris utriusque Doctor et ss. Canonum in Univ. Lovanien, professor publicus ordinarius.... exponit... Dubium III: An parochi ipsi ss. Missae Sacrificium pro populo offerre debeant, si legitima causa non impediantur; an vero per alium, exempli gratia, sacellanum aut presbyterum advenam huic officio satisfacere possint." Die 25 Sept. 1847 »Sacra Congregatio... Concilii Tridentini interpretum censuit rescribendum ad tertium, affirmative ad primam partem, negative ad secundam, excepto casu verae necessitatis, et concurrente causa canonica." V. *Praxis. p.* 4 et 5.

25. Docet haec declaratio, quod pariter decreti Tridentini ea pars indicat, qua alius minister pro absente substitui mandatur, incidere casus posse, qui liberant ab onere personali, integrumque onus reale relinquunt, ita ut, dum onus, pro grege applicandi in parochiali ecclesia, a curato tollitur, transferri ab ipso ad alium sacerdotem debeat. Casus isti causae canonicae dicuntur, quippe quae, ejus liberationis concedendae gratia, canonibus seu legibus Ecclesiae probatae sunt. Curatus incurrente hujusmodi causa eximitur a personali officio, manente illi imposita reali obligatione.

26. Liberatus itaque ab onere personali, ex causa canonica, dicatur:

1. Gravi morbo afflictus, quo a celebrando sacrificio

arcetur. S. Lig. *l. c.* Idem dicito de curatis, qui ab hostibus capti vel relegati sunt; vel alia quacumque causa impotentes actuali curae.

2. Absens a loco residentiae ex causa per competentem superiorem cognita et probata. De causis hujusmodi et necessaria licentia vide propositum saepius decretum Trid. *sess.* 23. *c.* 1. *de ref.* Liberatus in his casibus ab onere personali satisfacere oneri reali per alium sacerdotem debet in loco residentiae. Pontifex B. XIV in Const. *Cum semper oblatas* § 4. diserte tangens casum absentiae, de quo in Tridentini Concilii *sess.* 6. *c.* 2. *de ref.*, declarat sacrificium pro ovibus a substituto vicario pro grege applicandum esse. Quisquis est illegitime absens peccat, sed pari ratione atque ille qui abest legitim, per alium in residentia, in parochiali ecclesia, pro ovibus offerre tenetur, quoniam subjecta obligatio tum est personalis tum realis.

3. Parochus in cujus locum ad exercendam parochiae curam vicarius substitutus est (Cfr. supra n. 11); onus enim celebrandi pro populo diebus dominicis et festis incumbit tali vicario. B. XIV. *l. c.* § 4.

4. Parochus, qui duabus praeest ecclesiis parochialibus, non unitis plenarie et extinctive tituli, quique nec facultate pollet bis offerendi sacrificium, debet in una ecclesia parochiali satisfacere suo officio per se ipsum, in alia per alium sacerdotem.

5. Curatus, qui die dominico aut festo Missam conventualem canere debet, atque personaliter canit. B. XIV *l. c.* § 27. De concurrente hoc duplici officio mox uberius dicemus sub *n.* 45 et 46.

6. Exemptus per dispensationem s. Sedis Apostolicae, penes quam est, tum illi ipsi parti muneris pastoralis, quam curatis inferioribus commisit, adimere onus cele-

brandi pro populo; tum imminuere praestitutum a se Missarum numerum; tum in aliam hebdomadae diem Missam transferre. Postremum hoc temperamentum adhibere s. Sedes non abnuit, ubi parochus adeo pauper est, ut ferme ex eleemosynis Missarum vivere cogatur, eleemosynae autem offeruntur exonerandae dominico aut festivo die. V. B. XIV. *l. c.* § 8. Sed nulla relaxatio sperari posse videtur in hoc alio eventu, quo exstante sacerdotum penuria in ecclesia parochiali, una cum tanta Missarum copia, sive ex perpetuis legatis sive ex fidelium oblationibus, ut parochus impar sit cunctis illis oneribus satisfaciendo. V. Decretum S. C. C. in *Acta vol.* 2. *p.* 207. Pro dicto pauperum curatorum casu Pontifex B. XIV *l. c.* § 8. Episcopis facultatem concedit, ut die dominico et festo Missas expetitas illi celebrare possint, ea equidem adjecta conditione, ut omissa pro populo sacrificia infra hebdomadam suppleant. V. Lucidi *l. c. vol.* 3. *p.* 292, et s. Lig. *l. c. n.* 325.

27. Consuetudo, esto immemorabilis, ab exposito munere liberare non valet. »Nonnulli obtentu contrariae consuetudinis, etiam immemorabilis, in propria ecclesia vigentis, se ab hujusmodi onere eximi posse sibi persuaserunt. Verum jam pluries responsum fuit, hujusmodi consuetudinem, licet immemorabilem, quae potius abusus et corruptela dicenda est, nemini suffragari." B. XIV *l. c.* § 16. Recentis aetatis decretum in *Praxi* Mariani Verhoeven est p. 4. et 5: »Dubium II. An consuetudo *umquam legitima* haberi possit, vi cujus Parochi non applicant pro populo SS. Missae Sacrificium aut dominicis aut saltem praedictis festis diebus suppressis." Sacra Congr. Concilii respondit die 25 Sept. 1847: »Ad secundum, negative."

28. Nec celebratio Missae funeralis, praesente licet

cadavere, causa legitima est exemptionis ab obligatione personali, quod decrevit S. C. C. in Fesulana: »An Parochi in dominicis, aliisque festis diebus, praesente cadavere, possint celebrare Missam pro defuncto, et ad alium diem transferre Missam pro populo applicandam in casu." Die 26 Januarii 1771 rescripsit »Ad 1. et 2. negative." V. Lucidi *l. c. vol.* 1. *p.* 433.

CAPUT III.

OBLIGATIO CELEBRANDI MISSAM RATIONE CANONICATUS IN ECCLESIA CATHEDRALI ET COLLEGIATA.

§ I.

Legis origo, ratio, praeceptum.

29. *Origo et ratio legis.* »Servabatur olim in singulis Ecclesiis series accurata omnium et singulorum, quorum liberalitate unaquaeque aucta fuerat, eorumque nomina Sacris Diptychis, sic enim vocabantur, ideo consignata erant, ut eorum recordatio numquam interiret, utque pro iis tum preces funderentur, tum etiam Missae Sacrificium offerretur; quam ob causam etiam praedictus Catalogus in plerisque Ecclesiis ob oculos Presbyteri Celebrantis apponi consuevit; licet iidem pii Benefactores in suis Donationibus nihil penitus pro se pacti essent, sed tantummodo pro peccatorum suorum remissione se bona sua Deo offerre declarassent. Ecclesiarum siquidem Praesules preces pro iis imperandas esse duxerunt; quam-

vis illi propria bona offerentes ne verbum quidem ea de re fecissent. Sacrorum hujusmodi Diptychorum usus sensim defecit; ob idque in oblivione jacent alicubi complurium Benefactorum nomina. At non idcirco deserere fas est usum et disciplinam orandi pro iis, et Sacrificium Missae pro illis offerendi. Atque inde praeceptum applicandi Missam Conventualem pro Benefactoribus in genere, originem atque rationem desumit." B. XIV *l. c.* § 14.

30. *Legis praeceptum.* Statuit autem lex, ut singulis diebus in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis Missa conventualis celebretur, et pro earumdem Ecclesiarum benefactoribus in genere applicetur. Ejus legis materia quum gravis sit, eamdem sub peccato mortali obligare animadvertunt Doctores. V. Pignatelli. *Consult.* 321. *tom.* 1.

Celebrationis quotidianae obligatio sancita legitur in Epistola decretali Honorii III, proposita in B. XIV *Instit.* 107. *n.* 12: »Quidam in Cathedralibus vel Conventualibus Ecclesiis, praetextu Missae semel in die pro Anniversario celebrandae, Sacra Missarum solemnia, quae ratione diei, vel Festi solent solemnius celebrari, culpabili negligentia praetermittunt.... Mandamus, quatenus nullum in vos torporem negligentiae obrepere permittatis, quo minus et pro anniversariis defunctorum, et pro festo vel feria secundum temporum congruentiam, Missarum solemnia conventualiter celebretis." cfr. *Cap. Cum creatura. De Celebr. Miss.* Quamquam in hac decretali sola attingatur quotidiana missae conventualis celebratio, minimeque jubeatur aperte ejusdem pro benefactoribus in genere applicatio, attamen uniformes s. Congregationis Concilii resolutiones, Apostolica auctoritate confirmatae, atque Constitutio Ben. XIV *Cum semper oblatas*, diserte declarant et praecipiunt: »ut scilicet Missa Conventualis, quae singulis diebus canitur a Clero praedictarum Eccle-

siarum, pro earumdem Benefactoribus in genere quotidie applicetur." § 11.

31. Nequit propterea fructus medius attribui certo alicui benefactori, vel adhiberi ut onus impleatur ex fundatione, ex cura animarum, ex eleemosyna manuali, ex alia quacumque obligatione Capitulo vel celebranti impositum. § 12. Pariter non satisfit huic officio Capitulorum, fundendo pro benefactoribus in genere aliquas interdum preces, vel anniversaria statis diebus sacrificia pro illis peragendo. Nemo enim impositae obligationi alia ratione satisfacere potest, quam ea, quae a lege ecclesiastica praescripta fuit. § 13.

32. Praeter missam conventualem quotidie celebrandam Rubricae Missalis secundam ac tertiam pariter missam conventualem, certis diebus offerendam, memorant. V. *Rubr. Gen. sub tit. de Feria et Vigilia*, et, *Rubr. Spec. in Vigilia Ascensionis.* cfr. B. XIV *Inst.* 107. *n.* 13. De hujus secundae et tertiae missae applicatione pro benefactoribus in genere facienda nullum est praeceptum generale. B. XIV *De Syn. Dioec. l.* 13. *c.* 9. *n.* 12. Propterea idem Pontifex in Const. *Cum semper oblatas.* § 23. declarat, ad eam applicationem Capitula non teneri, exceptis iis, quae consuetudine obligerantur, taliter missas illas applicare.

§ II.

Onus personale. Substitutio.

33. Traditum celebrandi et applicandi debitum spectat omnes et singulos, qui in dictis Ecclesiis ad officia choralia tenentur, sive Dignitates, sive Canonicatus, sive Mansionariatus, sive Beneficia Choralia obtineant. B. XIV. *l. c.* § 12. Res autem per se ipsa dictat, non posse in

exercendo hoc munere unum capitularem prae alio gravari, sed singulos debere suis respective vicibus, sive ut aiunt per turnum, hoc onus adimplere. Idque saepius decrevit S. Congr. Concilii; ceu videre est apud Lucidi *l. c. p.* 311. Unanimi tamen consensu, statutis capitularibus, consuetudine etiam, alia potest inter capituli sodales ordo vel distributio statui.

34. Quisquis autem legitimus ordo celebrandi in usu sit, capitulo curare incumbit, ut nulla dies sine missa conventuali sit, capitulares vero personaliter missae conventuali vacare debent, cum jubeat Tridentinum Concilium: »omnes vero divina per se, et non per substitutum, compelluntur obire officia." *sess.* 24. *c.* 12. *de ref.*

35. Hac tamen conciliari sanctione non omnis substituendi facultas capitularibus sublata putanda est. Nam Sacrae Congr. Concilii resolutiones docent, vel sine causa substitutione quem uti posse, dummodo non fiat frequenter, nec substitutus ipse ad chorum venire debeat eo die, quo in locum alterius sufficitur, et dummodo ipse substituens in civitate, ubi est Cathedralis, vel in ejus suburbiis praesens sit. V. decreta in B. XIV *Inst.* 107. *n.* 17. et 18.

§ III.

Ritus et Hora.

36. »Indubium est hasce missas conventuales cum cantu celebrari debere, ceu Sac. Congregatio statuit in *Urbevetana* ... 5 Aug. 1737 ubi ad 11 dubium: »An quoties ex praescripto rubricae celebrandae et cantandae sunt in ecclesia cathedrali plures missae, liceat aliquam ex illis planam celebrare in casu"; respondit »nega-

tive." Lucidi *l. c. vol.* 2. *p.* 619. Porro cantari solemniter debet adhibitis Diacono et Subdiacono. »Missa Conventualis exposcit Diaconum et Subdiaconum, ita ut in casu solum deficientiae Ministrorum necessariorum, cani valeat cum uno Ministro, qui, praeter solitas functiones, cantat Epistolam, cantante Sacerdote celebrante Evangelium." B. XIV in *Quaest. Can.* 78. Quemadmodum in caeteris omnibus sic in praesenti juris generalis dispositione unus dispensare potest Romanus Pontifex. Data autem Apostolica venia est legendi missam conventualem eo die quo Episcopus missam Pontificalem in cathedrali celebrat. Sic enim habet decretum Sacrae Rituum Congregationis in causa *Marsorum:* »Quum Episcopus diebus festivis applicare debeat pro ovibus suis, quaeritur, an Episcopo hisce diebus pontificaliter celebrante, Canonici debeant Missam Conventualem pro Benefactoribus cantare, et quando?" Ad 20. »Hebdomadarius, vel is, cui onus inest Missae Conventualis, illam celebret lectam vel ante, vel post Missam Pontificalem." *Die* 12 *Nov.* 1831. *n.* 4669.

37. Animadvertit insuper s. Lig. *l.* 6. *n.* 424 ex decreto S. C. R. *diei* 17 *Dec.* 1695, quod »sacerdos qui celebrat missam conventualem, in qua chorus tenetur cantare symbolum, non potest illam prosequi tempore, quo a choro cantatur symbolum praedictum." Quod congruit prorsus Missalis Romani perspicuo praecepto de ritu celebrandi missam solemnem VI. 7. Ad hoc idem negotium spectat sequens sacrae Rituum Congregationis declaratio. Episcopus Conimbricensis expositis pluribus in sua Cathedrali vigentibus abusibus, quaesivit ex sacra Congr. inter alia: »2. An in Missa Conventuali cani semper debeant Gloria, Credo, totum Graduale, Offertorium, Praefatio, et Pater Noster?" [puta, juxta festi et ritus exigentiam] Sacra autem Congregatio respondit:

Ad 2. »Affirmative, juxta praescriptum Caeremonialis Episcoporum, et amplius." *Die 14 Aprilis* 1753. *n.* 4233.

38. Quod attinet ad tempus celebrationis, ex Rubricis generalibus Missalis sub titulo *De hora celebrandi*, missa conventualis dici debet: »In festis duplicibus et semiduplicibus, in Dominicis et infra Octavas, dicta in choro Hora Tertia. In festis simplicibus, et in feriis per annum, dicta Sexta. In Adventu, Quadragesima, Quatuor Temporibus, etiam infra Octavam Pentecostes, et Vigiliis quae jejunantur, quamvis sint dies solemnes, Missa de Tempore debet cantari post Nonam."

§ IV.

Stipendium.

39. Prima Ecclesiae aetate coetus clericorum, qui Episcopi seu Ecclesiae corona, senatus, presbyterium, collegiumque nuncupatus est, neque differre essentialiter videtur a Cathedralibus Capitulis, alebatur ex congestis oblationibus atque eleemosynis fidelium. Factum deinceps est, ut institutis beneficiis, quisque presbyterii socius seu canonicus ex certis sibi assignatis fundis congruam sustentationem peteret. Huic bonorum portioni cuique canonico assignatae, praebendae nomen datum est. Paulatim cum remissus aliquantum esset fervor pristinae disciplinae, ut alacrius canonici et facilius ad celebranda divina in choro officia attraherentur, secerni coepit ex singulis beneficiis quaedam fructuum quantitas, distribuenda quotidie iis solis, qui officiis choralibus assisterent. Ivo Carnotensis distributiones ejusmodi primus excogitavit; idemque Jus Pontificium constituit in *cap.*

Licet. De Praebendis. cap. Olim. De Verbor. signif., et cap. unic. De Clericis non resident, in 6, ac Tridentina Synodus eamdem disciplinam confirmavit. Nam ipsa jussit in singulis Cathedralibus, et Collegiatis, ubi deessent quotidianae distributiones, vel adeo tenues forent, ut facili negotio contemnerentur, separari ab Episcopo, etiam tamquam Sedis Apostolicae delegato, tertiam partem fructuum, aliorumque proventuum, qui tum Capituli Dignitatibus, tum Canonicatibus obtingunt, eamque partem in quotidianas distributiones converti: »Quae inter Dignitates obtinentes, et caeteros Divinis interessentes, proportionaliter juxta divisionem ab Episcopo etiam tamquam Apostolicae Sedis delegato in ipsa fructuum deductione facienda dividantur: ... non obstantibus exemptionibus, ac aliis consuetudinibus, etiam immemorabilibus. *sess.* 21. *c.* 3. *de ref.* et *sess.* 22. *c.* 3. *de ref.*" — B. XIV. *Inst.* 107. *n.* 41. Sunt insuper Capitula, quae proprias praebendas non habent, et quorum reditus in quotidianas distributiones usurpantur.

40. Quapropter stipendium pro expleto chorali officio, et propterea pro missa conventuali canonici assequuntur in distributione quotidiana, quae pensitatur ex massa illa communi, ad quam conficiendam tertia pars quorumcumque proventuum (ideoque et pensionum Gubernii civilis si quas canonici consequuntur V. *Act. vol.* 3. *p.* 465 *sq.*) ab Episcopo separanda est.

Sed statui praeterea potest, ut celebranti missam conventualem persolvatur ex massa distributionum peculiaris retributio. Etenim cum hujusmodi stipendium Episcopus Ferrariensis praescripsisset, Sacra Congregatio Concilii interrogata: I »An Dignitates, Canonici, Mansionarii, et Cappellani Capituli, qui omnes ex usu et consuetudine tenentur celebrare in Cathedrali Ecclesia Missas Conven-

tuales, teneantur ad easdem applicandas pro Benefactoribus, et quatenus affirmative; II. An celebrantibus et applicantibus Missas Conventuales solvenda sit eleemosyna a Capitulo, et quatenus affirmative: III. An pro eleemosyna dictarum Missarum Conventualium teneantur contribuere omnes constituentes corpus Capituli, sive sint Sacerdotes, sive Diaconi, sive Subdiaconi, et sive participent, sive non participent de massa distributionum." Sacra Congr. *die* 18 *Martii* 1719 respondit: »Ad primum affirmative. Ad secundum affirmative. Ad tertium affirmative, sed ex massa distributionum." Ita B. XIV. *Quaest. Can.* 92; ubi et aliam exhibet ejusdem rei decisionem S. C. C. in causa *Burgi s. Donnini. Missa Conv.* 16 *Maii* 1716. Consuli de hoc negotio potest § 18. *Const. Cum semper oblatas.*

Quando Capitulum ex collegiis distinctis constat, exempli gratia, ex Canonicis et Capellanis, proprios distinctosque redditus habentibus, memorata retributio ex propria cuique distributionum massa haurienda videtur; saepius enim S. C. C., cum is casus occurreret, id ipsum decrevit. V. *Acta vol.* 2. *p.* 199 *sqq.*

§ V.

Causae excusantes.

41. Quae de causis excusantibus a debito celebrandi missam conventualem dicturi sumus, capitularium tangunt singulares personas, haud vero corpus capituli. Dum enim capitulum manet et coadunari potest, missa conventualis debet singulis diebus celebrari, nisi Sancta Sedes aut temperet istud officium, aut solvat. Capituli autem sodales, obligati suis vicibus Sacrum conventuale

personaliter litare, ab explendo hoc onere, legitima incurrente aliqua causa, solvuntur. Causas eas spectamus, quae vulgo proponi a Doctoribus consueverunt veluti causae eximentes a servitio chori seu divino officio, quasque nos praesenti loco missae conventuali adaptamus, quoniam sacrum conventuale praecipua servitii chori seu officii divini pars est; et, quisquis legitima causa liberatur a divino officio, is idem liber a peragenda missa conventuali dicendus est. Porro causae excusantes legitime a servitio chori, quas breviter attingendas esse putavi, sequentes sunt:

42. I. *Legitima vacatio.* Constuit Trid. Concilium *sess.* 24. *c.* 12. *de ref.* ut capitularibus Ecclesiae Cathedralis et Collegiatae »non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis, ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt." Potest itaque statutis capitularibus vel consuetudine determinari quaedam a divinis officiis vacatio, quae pro capituli arbitratu longior sit vel brevior, spatium tamen trium mensium non superet. Quod si statuta et consuetudo de his silent, tres menses vacationis capitularibus competunt ex lege Tridentina. Fas autem est ipsis tempore vacationis abesse sine licentia Episcopi, non tamen dioecesis fines relinquere, nisi prius facultatem ab eo impetraverint. V. decreta in B. XIV *Inst.* 107 *n.* 36. Uti vacatione nequeunt tempore Adventus, Quadragesimae, et diebus festis, quae per annum majori solemnitate celebrantur a); nec omnes uno tempore illam

a) Dies festi solemniores dicuntur: Natalis D. N. J. C., Epiphania, Pascha Resurrectionis, Ascensio, Pentecoste, festum Corporis Christi, SS. App. Petri et Pauli, Assumpt. B. M. V.

sibi deposcere valent, ne ecclesia suo debito servitio destituatur. Absens vacationis gratia fructus quidem praebendae percipit, ast distributiones non lucratur. Decreta S. C. C. de his sunt in Ben. XIV *Instit.* 107. *n.* 31. *sqq.*

II. *Infirmitas, justa et rationabilis corporalis necessitas, evidens ecclesiae utilitas.* Bonifacius VIII in *cap. Consuetudinem, De Clericis non residentibus in Sexto*, permittit a choro abesse et non obstante absentia distributiones percipere, »quos infirmitas, seu justa et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas excusaret."

Quibus privilegiis ut quis fruatur *infirmitatis* titulo, verus morbus isque gravis requiritur, »neque id satis habetur, si canonici aegrotantes a choro abesse consueverint dum incolumes erant. Tunc enim absentia non morbo tribuitur, sed voluntati, qua putantur inhaerere eidem proposito Ecclesiae minime deserviendi." B. XIV *l. c. n.* 47.

Iisdem juribus gaudet, qui *justa et rationabili corporali necessitate* a divinis officiis arcetur, exempli gratia, qui abest quia pestis in eo loco vehementer grassatur; qui carcere injuste detinetur. B. XIV *l. c. n.* 50. *sqq.* Tandem eadem jura illi sunt, qui abest propter *evidentem Ecclesiae* (Ecclesiae Cathedralis vel Capituli) *utilitatem.* Hanc absentiae causam invocare potest Theologus, quo die legere debet; Poenitentiarius, aut Canonicus in ejus locum ab Episcopo subrogatus, si administratione sacramenti Poenitentiae impeditus fuerit, quominus assisteret divinis officiis; Canonicus, qui in eadem ecclesia adnexam

---

et Omnium Sanctorum, S. Titularis ecclesiae et Patroni civitatis et ecclesiae dedicationis. Ex Ep. Praefecti S. C. R. diei 6 Sept. 1781 ad Episcopum Vasionen. Gardell. *n.* 4384.

habet curam animarum, atque tempore divini officii in actuali cura fuerit occupatus; Canonicus, qui Episcopi jussu et loco Romam venit ad Limina Apostolorum invisenda, vel ipsum Episcopum Romam ob eamdem causam comitatur; item Canonicus inserviens Episcopo Pontificalia exercenti juxta praescriptum a Conc. Tridentino *sess.* 24. *c.* 12. et a Decretis S. C. C., si hoc necessario munere impeditus choro interesse non potuit; pariter ille, qui in aede Regularium spiritualibus exercitiis vacat, modo impetraverit Episcopi licentiam, secessus non fiat tempore Adventus, Quadragesimae, vel in festo magis solemni, et divinis officiis in choro ex plurium absentia, nullum detrimentum inferatur. B. XIV. *l. c. n.* 54. *sqq.* Tandem Pius P. P. IX in Const. *Multiplices inter* § *X. diei* 27 *Nov.* 1869 eadem jura indulget Concilio Vaticano operam quovis titulo impendentibus, donec eidem adsunt aut inserviunt. Sponte sua patet dictis juribus accenseri non posse perceptionem stipendii peculiaris in celebrantis remunerationem ex massa distributionum desumendi.

III. *Indultum Jubilationis.* Memorata jura itidem consequi quis potest per privilegium Apostolicum, quod Indultum jubilationis vocant. Cum nimirum canonicus per annos quadraginta assidue ac laudabiliter munere suo perfunctus est, supplexque S. Sedem adit, haec benigniter concedere eidem indultum solet, quo absolutus ab onere chori, jus tum in praebendae reditus, tum in distributiones quotidianas conservat.

IV. *Plures aliae graves causae.* Praeter tempus licitae vacationis, praeter causas constitutas a Bonifacio VIII, et Indultum jubilationis, aliae multae sunt, quae sinunt ab officio divino canonicos abesse, ast, quemadmodum vacatio facit, absentes distributionibus quotidianis privant.

Sic parochia extra civitatem canonicatui conjuncta, canonicum residere ac ministrare in alio loco obligat. Mandatum Episcopi duos ex capitulo in suum servitium accire potest; quo impediantur choro adesse. Canonicus, cui munus Vicarii Generalis Episcopus demandavit; canonicus examinator synodalis; canonici, qui pias suscipiunt peregrinationes, vel qui docent Jus Pontificium, et Theologiam, aut his disciplinis excolendis operam impendunt; hi omnes, quantum res sua postulat, abesse licite possunt. B. XIV *l. c. n.* 66. *sqq.*

Conclusa nobis jam haec sit causarum explanatio, capitulares legitima ex causa liberari posse a debito offerendi Missam Conventualem, haud tamen percipere, cum turno non satisfaciunt, stipendium, quod ex distributionum massa, segregatum est in gratiam celebrantis.

43. Complectitur plenaria potestas Sedis Apostolicae facultatem ad expositas causas adjungendi alias; tollendi etiam et temperandi exhibitam obligationem, quippe quae jure ecclesiastico constituta sit. Nec gravatur Romanus Pontifex sua potestate, vel in totum Capituli corpus, clementissime uti, cum redituum inopia vel aliae justae causae moderamen aliquod juris afferri suadent. Contigit inde ut Capitulis numero haud paucis integrum hodie sit, solis diebus Dominicis et Festis Missam Conventualem pro benefactoribus in genere applicare.

44. Episcoporum jurisdictio non continet facultatem, qua possint officium lege generali statutum immutare, aut, hac in causa, capitulo repugnante vel a turni debito quem capitularem absolvere, etsi huic cura animarum commissa sit; quod docet decretum S. C. C. in *Albiganen.* 27 *Aprilis* 1844: »An, et quomodo sustineatur episcopale statutum circa exemptionem praepositi [qui parochus erat] a missa conventuali per turnum

celebranda et applicanda in casu?" S. C. respondit: »Negative." V. Lucidi *vol.* 1. *p.* 311.

45. Nec consuetudo licet immemorabilis (Const. *Cum semper oblatas* § 16), nec redituum tenuitas (*l. c.* § 19) tollere valet legem, quae missam conventualem quotidie celebrari pro benefactoribus in genere mandat. Consuetudini tamen haec vis attribuenda est fortasse, ut, debitis conditionibus stipata, missam conventualem solemnem, et cantatam, reducere multoties ad lectam simpliciter missam possit.

46. Concurrentibus eodem die duobus oneribus missarum in unum capitularem is casus non est causa legitima dimittendi missam conventualem; haec enim aliis oneribus anteponi debet, alia vero propterea non negligi, sed per substitutum sacerdotem impleri. Exempla sunt: incidit in eumdem diem Sacrum conventuale et missa debita ex anniversario, ex alia fundatione, ex beneficio, ex cura animarum. De his perspicua lex est: »Alii, ita Pontifex B. XIV, a Missa pro Benefactoribus in genere applicanda se excusatos voluissent, ex eo, quod alio quopiam Missarum onere obstricti inveniantur, vel ratione proprii Canonicatus, aut alterius Beneficii Ecclesiastici, quod insimul cum Canonicali praebenda obtinent; vel quia, praeter munus Canonici, seu Beneficiati, aut Mansionarii in Ecclesia Cathedrali, seu Collegiata, quum etiam in eadem, vel in alia Ecclesia Parochialem curam exerceant, dum Missam Conventualem canunt diebus festis de praecepto, debent pro populo sibi commisso eam applicare; ac proinde nequeunt eamdem pro Ecclesiae Benefactoribus specialiter offerre. Sed his quoque obviam itum est, jubendo singulis praedictis, ut Missam Conventualem, quam canunt, pro Ecclesiae Benefactoribus in genere applicent; pro aliis vero, pro quibus ipsi peculiariter Missam applicare tenentur, alterum substituant, qui ipso-

rum loco Missam hujusmodi celebret applicetque." Const. *Cum semper oblatas.* § 17.

47. Hisce Pontificis Benedicti verbis paululum immoremur, atque investigemus, an dictus capitularis substituendi privilegio, de quo supra *n.* 34, spoliatus dicendus sit, ita ut numquam, concurrentibus duobus oneribus, per alium possit satisfacere Missae Conventualis officio, per se ipsum vero alteri oneri, verbi gratia, Missae pro populo? Ego quidem re considerata diligenter, in ea sum sententia, non praecludi viam dictae substitioni, sed lege simpliciter indicari, non posse Capitularem, pone curatum, excusare se ab offerenda Conventuali Missa, dicti alterius oneris titulo; onus idcirco personale Missae Parochialis cedere oneri personali Conventualis Missae, cui propterea curatus satisfacere debet, nisi per alium suas vices legitime adimpleat, aut, etiam absens legitime sit. Argumenta sint; Primo decreta de privilegio substitutionis apud B. XIV *Inst.* 107. *n.* 18. Quae cum indulgeant, ut vel absque causa substitutio peragatur, jure bono eamdem tunc concessam putaverim, cum Capitularis v. g. curatus pro ovibus suis rem divinam personaliter facere desiderat. Secundo, locus ex *Inst.* 107. *n.* 15, quem docere arbitror, non absolute semper in dicto eventu capitularem adigi ad missae conventualis oblationem: »Si quis addictus choro, animarum curam pariter obtineat, et ob eam causam diebus festis pro populo rem divinam facere debeat, falso speraret utrique praecepto satisfacere, celebrans nempe eamdem Missam pro populo, ac pro benefactoribus suae Cathedralis, aut Collegiatae. Quare decrevit Ecclesia in sacerdote ejusmodi, *si sacrum conventuale faciat*, tamquam canonicus aut beneficiatus, rem divinam pro benefactoribus generatim applicandam, et alium sacerdotem accersendum eadem die, qui pro populo celebret."

§ VI.

Capitula Provinciae Ultrajectensis.

48. Explicavimus hactenus de Missa Conventuali ea praecepta, quae Capitula Cathedralia et Collegiata universim concernunt. Nomine ac mandato et ex delegata a Pontifice Pio IX auctoritate per Apostolicas Litteras diei 23 Julii 1858, Provinciae Ultrajectensis Episcopi, in sua quisque Dioecesi, Capitulum constituerunt, ex una Dignitate, Praepositi titulo ditata, et ex octo Canonicis constans. (Syn. Prov. tit. II. c. V.)

Comprehendunt passim canonicatus tum praebendam, id est, portionem quamdam bonorum temporalium cuique canonico attributam, tum canoniam, seu privilegium, quo quis constituitur verum membrum capituli, stallum habet in choro, vocem in capitulo, et alia participat jura canonicis communia. Praebenda tamen non est de substantia canonicatus, ceu cum Fagnano in *cap. Dilectus*, *De Praebendis*, *n.* 8. Doctores animadvertunt. Licet itaque absint praebendae Capitulis nostris, id impedit minime quominus canonicatus isti sint Cathedralium Ecclesiarum canonicatus veri nominis, et capitula habeant per se cuncta jura ordinaria et onera, quae lege ecclesiastica capitulis cathedralibus attribuuntur. Quum tamen ob peculiaria adjuncta, in quibus dictae Dioeceses praesenti tempore versantur, omnia quae in jure canonico de Capitulo ecclesiae cathedralis constituta habentur, executioni mandari non possint, Sancta Sedes moderamen quoddam temporale tum juribus tum oneribus afferendum esse judicavit. V. Decretum s. Congr. de Prop. Fide *Quae circa* d.d. 17 Julii 1858.

49. Restat igitur consideremus, quibus legibus Missa Conventualis Capitulorum Provinciae Ultrajectensis regi debeat. In quo pertractando negotio a litteris apostolicis Pontificis Pii IX *Quemadmodum Deo placuit. diei* 23 *Julii* 1858, et decreto Sacrae Congregationis de Propaganda Fide *Quae circa diei* 17 *Julii* 1858, atque statutis Synodi Provincialis Ultrajectensis *tit. II. c. V.* capiendum est investigationis exordium.

In dictis apostolicis litteris haec de re nostra leguntur: »Capitula ipsa ut primum instituta fuerint, omnibus fruentur juribus, omnibusque oneribus tenebuntur, quae Metropolitani, aut Cathedralis cujuscumque Capituli ex communi Sacrorum Canonum jure propria sunt." In decreto S. C. de Prop. Fide ad propositas apostolicas litteras, approbante Summo Pontifice, adjecta instructio fuit, quae habet: »Cum canonicales praebendae desint, ... Eminentissimi Patres annuendum censuerunt, ut iidem Capitulares ab onere residentiae penes Cathedralem, et sacra officia persolvendi eximantur, ita tamen ut in proxima Synodo Provinciali Episcopi curent de nonnullis diebus, infra annum (semel saltem in mense quolibet) designandis, in quibus Canonici chorum adire, atque officia peragere teneantur." Tandem in executionem ejus decreti Patres Synodi Provincialis statuunt et mandant: »ut semel in mense quolibet Canonici in ecclesia cathedrali chorum adeant atque officia divina peragant."

50. Quamquam in his ordinationibus Missae Conventualis nomen non invenitur, ipsa tamen divina res monstratur aperte. Etenim Papa Pius IX Capitula nostra subjicit *omnibus oneribus*, quae Metropolitani, aut Cathedralis cujuscumque Capituli ex communi Sacrorum Canonum jure propria sunt. Atqui canones missam conventualem in onerum eorum numero habent. Vult de-

cretum S. Congr. de Ppgda Fide curari ab Episcopis, canonici singulis mensibus semel saltem *chorum adeant*, sacra *officia peracturi;* atque Synodus Provincialis jubet: *chorum adeant atque officia divina peragant.* Sed *officii* divini nomine, praeter horas canonicas, intelligi missae sacrificium, ideoque cum de capitulis sermo est, missam conventualem, perspicuum et notissimum est ex *can. De iis, Dist.* 12: »caetera officia publica, id est, Vesperas, Matutinum, sive Missam aliter quam in principali Ecclesia celebrare non liceat." cfr. B. IV *Inst.* 107. *n.* 11.

51. Hisce legibus in conspectu positis, statui generalis regula potest sequens. Juris sacri praecepta de Missa Conventuali, nostra etiam capitula spectant servatis tamen temperamentis, quae legitima auctoritate concessa sunt.

Tenentur igitur capitulares missam conventualem, ministrantibus diacono et subdiacono, solemniter celebrare; sed dum praebendae absunt semel singulis mensibus tantum, eamque applicare Metropolitanae seu Cathedralis Ecclesiae benefactoribus in genere.

Quibuscumque anni diebus et festis missam conventualem offerunt recitata Hora Tertia, cum ex facultate per decretum S. C. de P. F. Episcopis data, horarum canonicarum recitatio ad unam horam tertiam limitata sit. V. *Stat. Cap. Metrop.* § III.

Secundam vel tertiam missam conventualem statutis in Missali diebus nec applicare nec celebrare debent; quum obligatio una per singulos menses missa contineatur.

Personaliter quisque officio suo perfungi cogitur; atque propterea jus est capitularibus postulandi, ut suo ordine quisque Sacrum Conventuale offerat, nisi aliter statutis capitularibus disponatur.

Substituendi facultate mihi videntur gaudere canonici; idque potiori aestimo prae aliis canonicis jure, quoniam

in divini ministerii occupationibus domi detenti, curae animarum gravibus et urgentibus negotiis a muneris capitularis exercitio impediri interdum possunt.

Legitimae etiam sive vacationis sive alterius liberationis titulo se excusare ab exstante obligatione, unicuique fas est.

De distributionibus ordinandis ex massa bonorum, quae capitulis sunt, et de constituendo stipendio celebrantis commodi causa, non est quod disseram, haec ad Dioecesium Ordinarios et Capitula judicare quum pertineat.

CAPUT IV.

OBLIGATIO CELEBRANDI MISSAM RATIONE DISPOSITIONIS FIDELIUM.

52. Onera missarum variis ex principiis sive causis oriuntur; ceu, ex lege, ex superioris praecepto, ex voto et promissione, ex dispositione fidelium.

53. Quapropter alia celebranda sunt, quia sic lege cautum est. De his explicavimus hactenus.

54. Alia ex legitimi superioris praecepto celebrari et applicari debent, obligantque sub levis peccati aut gravis reatu pro superioris voluntate. Recentis memoriae est, Pontificem Pium IX in *Litt. Apost. Nemo certe ignorat d. d.* 11 *Aprilis* 1869 praecepisse: »a... die primo Junii usque ad diem, quo oecumenica Synodus finem habuerit,... de.. Sancto Spiritu divinum, praeter consuetam Missam conventualem, Sacrificium fieri in omnibus hujus Urbis Patriarchalibus, aliisque Basilicis et Collegialibus Ecclesiis, nec non in cunctis totius orbis Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis ab earum Canonicis, atque etiam

in singulis cujusque religiosae Familiae Ecclesiis Regularium, qui conventualem Missam celebrare tenentur, feria quaque quinta, qua festum duplex primae et secundae classis non agatur, quin tamen haec de Spiritu Sancto Missa ullam habeat applicationis obligationem."

Potest etiam Episcopus et Praelatus Regularis sacerdoti sibi subjecto mandare, ut celebret, et sacrificium ad praestitutum a se finem offerat. Si sacerdos missam praescriptae personae aut scopo non applicat, contra obedientiae officium facit; sed quaestio inter Doctores est, tractanda inferius, cuinam applicatio prosit, illine cui sacerdos applicaverit, an ei cui ex superioris praecepto applicare debuisset. V. B. XIV. *De Sacrificio Missae l.* 3. *c.* 9. *n.* 4.

Ex virtute religionis sub gravi vel levi peccato celebrare obligatur, qui votum dicendi missam Deo nuncupavit; itemque ex fidelitate, quantum voluerit se obligare, si sacrificia cuipiam pollicitus est.

55. Frequentior est obligatio celebrandi et applicandi nata ex fidelium voluntate; ex dispositione scilicet vel inter vivos stipulata vel consignata supremis tabulis. Restat de his juris canonici sanctiones proponamus.

Constat hoc onerum genus missis tum perpetuis tum adventitiis.

Perpetuae dicuntur, quae vel perpetuo vel ad longum remotumque temporis spatium celebrandae et applicandae sunt quotidie, aut certis quibusdam diebus, ratione beneficii, capellaniae, simplicis legati aut donationis missarum. Legatum hic donatio quaedam est a defuncto relicta, ab haerede praestanda, onus missarum praescribens; Capellania vero, constitutum missarum onus certa in capella, certum ad altare, a designato legati capellano explendum; Beneficium tandem, onus missarum decreto

Episcopali in beneficium erectum. Donationes factae missarum perpetuarum ergo, legata etiam et capellaniae, simpliciter auctoritate Ordinarii acceptanda sunt; beneficium autem requirit Episcopi decretum, quo missarum oneri nomen et qualitas beneficii attribuatur. Pro missis perpetuis quum certi fundi designentur, ea propter sive sint indictae donatione aut legato, sive capellaniae aut beneficii lege constitutae, generico saepe nomine fundationes audiunt.

Adventitiae et *manuales* sunt, quae semel celebratae et applicatae nequaquam iterantur, aut ad summum certis quibusdam vicibus ad implendum numerum a fidelibus statutum. V. B. XIV. *De Syn. Dioec. l.* 13. *cap. ult. n.* 4. *Instit.* 56. *n.* 10.

56. In longum sermonem hic locus de missis perpetuis et adventitiis nos vocat; cum multa sint in eo et gravia et utilia legibus sacris sancita. Ab origine narranda eleemosynarum missae ordiemur, honestatem ostendemus, abusus indicabimus. Deinde videbimus quas Ecclesia cautiones adhibeat, ut sancte servetur fidelium dispositio. Tum, quae sint officia suscipientium onus missarum, explicabimus; quae res quaestiones plures complectitur. Tandemque dicemus, quibus causis commutari, id est, tolli vel imminui onera possint.

§ I.

Eleemosynae Missarum origo, honestas, abusus.

57. Universalis Ecclesiae mos est dandi atque recipiendi eleemosynas missarum, ut pro elargientibus vel ad eorum intentionem offeratur Deo sacrificium. Sunt istae eleemosynae retributio perfuncti a sacerdote laboris seu ministerii in offerendo, atque medium quo aliqua

ex parte ejus victui provideatur; quandoque etiam partim destinantur ut ea, quae ad sacrificandum necessaria sunt, comparari valeant. Ex legatis missarum dimanant, itemque ex beneficiorum atque capellaniarum fundationibus, ex donationibus, stipendiisque manualibus, quae dietim ministris sacris ad manus traduntur.

58. Mos universalis, quem diximus, pristino successit usui offerendi panem et vinum. Ab ipsis nimirum Apostolis institutum fuisse s. Justinus, Tertullianus aliique veteres scriptores narrant, ut qui ad missae sacrificium convenirent fideles, suam quisque sacrificii partem, hoc est, panem et vinum offerret. Missa celebrabatur non pro una aliqua persona sed pro universis fidelibus. Neque exigua erat, quae a singulis offerebatur quantitas; quisque enim pro sua facultate plures afferebat panes cum larga vini amphora, ut eorum modica pars consecraretur et reliqua massa cederet in sacerdotum et clericorum commune commodum. Labentibus saeculis variatio temporum et circumstantiarum effecit, ut pani et vino substituerentur denarii, retenta tamen lege, qua omnes participes redderentur sacrificii, et oblatae pecuniae inservirent cleri communi utilitati. Tandem qui hodie viget mos paulatim introductus est, elargiendi scilicet stipendium certo sacerdoti, ut sacrificii applicatio ad illius mentem fiat, qui obtulit eleemosynam, Episcopi decreto vel consuetudine taxatam. B. XIV. *Quaest. Can.* 506, et *De Syn. Dioec. l.* 5. *c.* 8.

59. Confertur autem haec eleenosyna competitque sacerdoti haud sane operis operati causa, sed ratione operae praestitae, atque propterea potest ab ipsis divitibus presbyteris accipi, quin ullam legem violent. »Sacerdos non accipit pecuniam quasi pretium consecrationis Eucharistiae, aut missae decantandae (hoc enim esset

simoniacum); sed quasi stipendium suae sustentationis." S. Thomas 2. 2. *q.* 100. *a.* 2. *ad* 2. Cui quidem normae quisque sanae mentis assentiat necesse est, quippe quam universae Ecclesiae pastores approbant, aperteque lex divina commendat. Ait enim Apostolus: »Nescitis, quoniam, qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt; et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere." 1 *ad Cor.*. 9. 13. Dominus autem de ministrorum sacrorum laboribus decrevit: »Dignus est operarius mercede sua" *Matth.* 10. 10. Accedit naturali etiam ratione homines doceri, quod »unusquisque meretur ali ab eo cui deservit, vel in cujus ministerio et officio occupatur; nam hoc maxime necessarium est ad vitam transigendam; ergo cum praecipuum munus et officium sacerdotis sit sacrificare, si in alicujus utilitatem illud exhibet et in hoc occupatur, naturalis ratio postulat, ut ab ipso alatur." Suarez *De Sacr. Miss. d.* 86 *s.* 1. *n.* 4. Quamobrem inveniri in his haud quidquam potest quod ab honesto et licito alienum sit; atque turpiter impieque errasse dicendi sunt Lutherani et Calviniani cum stipendii missarum causa sacerdotes catholicos simoniae crimine accusarent. Quod in oculos cuique incurrit, qui animadverterit, ab exhibitam in sacrificando operam sacerdotibus stipendium conferri; idque tum universae Ecclesiae atque summorum pastorum approbatione firmari, tum permitti non solum christianae sed etiam legis naturalis apertis ordinationibus.

60. Fatendum est vero quorumdam sacerdotum sordidam avaritiam quandoque dehonestasse quod caeteroquin in se licitum et sanctum est; sed ea propter non tollenda stipendii eleemosyna, sicuti non tollendum ipsum sacerdotium, nec aliae dignitates sive clericales sive laicales,

quibus hominum vitia quandoque abutuntur; hoc unum curandum est, ut abusus evanescant. Fuit haec Romanorum Pontificum diligentissima cura, quoties hujusmodi vitia emergerent Prohibuerunt eam ob causam repetitum eodem die sacrificium (Innoc. III. *cap. Consuluisti. De Celebr. miss.* et Honorius III *cap. Te referente* eod. titulo); et consecrationem plurium hostiarum eum in finem ut pluribus obligationibus satisfiat; missas etiam, quae bifaciatae et trifaciatae dicebantur, in quibus nimirum sub uno quidem canone sacrum perficiebatur, sed bis terve repetebantur caeterae preces sacrificii. Sanxerunt ut nulla fiant de missarum eleemosynis inhonesta pacta (Greg IX. *cap. finali De Pactis*), nullae importunae aut illiberales exactiones (Trid. Conc. *s.* 22. *Decret. de observ. et evitandis in celebr. missae*). Doctrinam proscripserunt, qua duplicatum stipendium pro eadem missa licite accipi posse asseritur (Conc. Lambethense et Alex. VII), itemque illam, quae inficiatur celebrandi obligationem, ubi sacerdos eleemosynam accipit minorem constituta legitima taxa; quaeque pro pluribus exiguis stipendiis totidem missas deberi negat (Urb. VIII et Innoc. XII). Damnata fuit opinio, licite sumi stipendium aliud pro fructu medio, aliud pro specialissimo (Alex. VII). Explosum fuit et repulsum celebrare pro eo, qui postea erit sacrificium postulaturus, licet a sacerdote id minime rogaverit (Paulus V apud Pasqualigum *De sacrif. N. L. q.* 168), et, acceptae eleemosynae parte retenta, alteri sacerdoti missam celebrandam committere (B. XIV Const. *Quanta cura*), tandemque peracta confessione accipere a poenitentibus missarum eleemosynas licet sponte oblatas (Clemens XI apud B. XIV *De Syn. Dioec. l.* 5. *c.* 9, *n.* 6).

61. Nemo autem solis sacerdotibus haec vitia imputet; nam et fideles laicos cum ministris sacris in hoc genere

aliquantum iniquius egisse, atque plus semel abusuum causam extitisse, haud recusari historia teste potest. Sic quae dietim largiebantur pro celebratis missis manualibus stipendia, quaeque haeredes pro scriptis in testamento sacrificiis, frequenter ab aequo et justo nimium aberant; nec verebantur administratores ecclesiarum et piorum locorum partem inique detrahere ex eleemosyna debita celebranti. Verum et istae corruptelae damnatae et prohibitae fuerunt.

§ II.

Cautiones.

Episcoporum officium. Taxae constitutio. Irritae reductiones. Collocatio pecuniarum. Necessaria licentia. Tabellae onerum. Superiorum vigilantia.

62. Quum vero haud satis sit ad arcendas pravitates inque suo ortu suffocandas, prohibere easdem atque condemnare, Ecclesia non omisit opportunas adhibere cautiones, quibus fiat ut legibus suis obtemperetur finisque attingatur, quem sibi praestituit.

Ex eleemosynae taxatione cujusvis arbitrio relicta, ex coacervatione onerum missarum, oblivione in explendis sacrificiis, incuria in administrandis missarum fundis, ex dilata nimium oneribus satisfactione, defectu inspectionis superiorum, ex causis hisce similibus, facile oriuntur ante recensiti abusus et alia haud exigua mala. Quamobrem ecclesiasticis prohibitionibus cautiones adjunctae sunt, quae ni enasci impediant, vix natos abusus prompte expellunt.

Quae priusquam articulatim distincte que enumerentur

et sequentibus deinde paragraphis exponantur, animadversione dignum est, providam Ecclesiae sollicitudinem per constitutas cautiones id efficere, ut, dum ministrorum vitia repelluntur, aequo eorumdem temporali commodo provideatur, simulque dispositionibus fidelium, eleemosynas elargientium, consultum sit; ita ut ad abigendum a clero avaritiae peccatum et simoniae quamcumque speciem, ad sufficiendum sacerdotibus decens missarum stipendium, et curandam onerum fidelem executionem, referri omnes cautiones debeant.

63. Imprimis itaque Trid. Conc. *sess.* 22. *decr. de obs. et evit. in celebr. missae* Episcopis officium imposuit diligenter invigilandi ut turpis quaestus et simoniae species ex stipendiorum usu quam longissime arceantur: »Quod ad avaritiam pertinet, cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, et quidquid pro Missis novis celebrandis datur, nec non importunas, atque illiberales eleemosynarum exactiones potius quam postulationes, aliaque hujusmodi, quae a simoniaca labe, vel certe a turpi quaestu non longe absunt, omnino prohibeat."

64. Neque committi cujusvis judicio poterat imminuere missarum numerum cum bona vel in usum ecclesiarum consumi vel alia quacumque ratione imminui contingeret. Propterea Urbanus VIII in Decreto S. C. C. *Cum saepe contingat* § 2 et Innocentius XII in Const. *Nuper.* § 2 nullas irritasque declararunt reductiones missarum, nisi Sedis Apostolicae auctoritate factae fuerint.

65. Sed curanda etiam erat bonorum atque reddituum conservatio et incolumitas, ne consumptis bonis nuda remaneant onera missarum, sacerdotes in eis adimplendis ex imminutione segniores reddantur, atque piae testantium voluntates depereant. Quocirca locis omnibus sacris, religiosis, piis, tam saecularibns quam regularibus, atque

illorum ministris jusserunt Urbanus VIII et Innoc. XII propositis decretis § 6, ut pecuniae ac bona mobilia pro missis perpetuis acquirenda, »sub poena interdicti ab ingressu ecclesiae ipso facto incurrenda, a die realis acquisitionis, statim deponi debeant penes aedem sacram, vel personam fide et facultatibus idoneam, ad effectum illa, seu illorum pretium quam primum investiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa et individua mentione oneris, quod illis annexum reperitur." Idemque faciendum esse, si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit. § 7.

Si ex fundatoris dispositione non sunt tradendi ecclesiae vel loco pio fundi missae perpetuae, sed penes haeredem vel aliam personam manent, expedire admodum videtur, ut hypothecaria inscriptio ad cavendum pii legati implementum fiat. Et talem inscriptionem Sacrae Congregationes Concilii atque Episcoporum et Regularium praecipere solent, quoties intelligunt omissam fuisse. V. Lucidi *l. c. vol.* 2. *p.* 416.

66. Ne quando contingat ut copia missarum alicubi major sit quam celebrandi facultas, sicque depereant piae testantium voluntates, violetur obstricta benefactoribus fides, defunctorum animae suffragiis priventur, ecclesiis subtrahatur debitus cultus, atque Christi fideles gravi scandalo afficiantur, ea propter dicti Pontifices Urbanus VIII et Innocentius XII *l. c.* § 8 districte prohibent, »ne in posterum onera perpetua suscipiant missarum celebrandarum, saeculares quidem sine Episcopi, vel ejus Generalis Vicarii, regulares vero sine Generalis, vel Provincialis consensu et licentia in scriptis et gratis concedenda, alioquin saecularis, qui hujus prohibitionis transgressor exstiterit, ab ingressu ecclesiae interdictus sit eo ipso: regularis vero poenam privationis omnium

officiorum, quae tunc obtinebit ac perpetuae inhabilitatis ad alia de caetero obtinenda, vocisque activae, ac passivae, absque ulla declaratione incurrat."

67. Cum obliterari vel occultari aliquando onera missarum possent, huic praeveniendo malo Innoc. XII. § 26 et 27 sancivit, ut in singulis ecclesiis saecularibus et regularibus adsit catalogus sive tabella onerum, quae ad perpetuum vel ad certum definitumque tempus imposita ipsis, ac respective acceptata fuerunt; utque itidem in sacrario duo asserventur libri, in quorum altero perpetua hujusmodi, sive temporaria onera, in altero vero missae manuales et adventitiae inscribantur, una cum fideli et distincta adnotatione subsecuti utrorumque implementi.

Sed inserviunt praeterea ejusmodi tabellae, ut, cum ignoratur aut reperiri dos fundationis nequit, ipsum onus Missarum susceptum fuisse probetur, ideoque et dotem aliquando tributam, quae deinceps in usum forte ipsius ecclesiae consumpta est. De hoc casu S. Congr. Concilii in causa Neapolitana die 10 Januarii 1665 declaravit: »praesumi quod oneribus in tabella descriptis congrua dos in eorum receptione attributa fuerit: ideoque donec de contrario non constet, non esse locum moderationi, sed esse satisfaciendum oneribus, quamvis in praesens ignoretur quae bona fuerint assignata." V. Crispinum. *Trattato della visita Pastorale.* Neapoli 1855. *p.* 108.

68. Tandem onera missarum demandata sunt indefessae curae et vigilantiae Episcoporum, Praelatorum habentium territorium separatum, Vicariorum Capitularium et Superiorum Regularium pro respectivis sibi subditis. De quo videri potest *cap. ultimum l.* 13. *De Syn. Dioec.* Satis sit proposuisse quae Innocentiana Constitutio § 31. habet de Ordinariis locorum; videlicet: »Meminerint igitur et satagant Ordinarii, ut a personis,

et in Ecclesiis quoquo modo, etiam in vim decretorum Concilii Tridentini, sibi subjectis, Missae ea, qua par est, fide et diligentia celebrentur, et cuncta et singula decreta hujusmodi omnimodae executioni demandentur, nedum justitiam requirentibus, seu instantibus reddentes, sed ex officio, tum in visitationibus, tum in aliis actibus, et modis, quos expedire et convenire toties, quoties judicaverint, inquirentes, ne aliquid committatur, pervertatur, differatur, vel omittatur, quod his oneribus et singulis decretis adversetur."

§ III.

Justa stipendiorum taxa.

69. Ut amotis abusibus sacerdotes ad vitam agendam decens ex eleemosynis missarum levamen accipiant, disciplina taxae stipendiorum fuit invecta. Est autem taxa stipendiorum missae, summa legitime definita, ultra quam exigi nequit. Legitime definitur Ordinarii imprimis decreto, insuper, consuetudinis ordinatione. Tum in Synodis tum extra Synodos taxam Episcopi constituunt. Ut autem stabilior sit, et sacerdotibus commodius significetur et inculcetur, plerumque in Synodis fieri consuevit, atque propterea dicta taxatio communiter *taxa synodalis* appellatur. B. XIV *De Syn. Dioec. l.* 5. *c.* 8. *n.* 11.

70. Sunt in taxandis missarum honorariis quaedam ob oculos habenda. Primum est, rationem haberi circumstantiarum loci et temporis, praecipueque caritatis et vilitatis annonae. B. XIV *Quaest. Can.* 506. et *De Syn. Dioec. l.* 5. *c.* 9. *n.* 1. Alterum; necesse non esse, ut eleemosyna tanta sit, quanta ad integram sustentationem sacerdoti ea die, qua celebrat, requiratur: »etenim,

sicuti optime perpendit Suarez in 3 *p. d.* 83. *a.* 6. *s.* 2. *cond.* 3. actio sacrificandi non requirit integrum diem, neque majorem ejus partem; unde non est cur sacerdos propter hoc solum ministerium integre alatur ab eo, pro quo sacrificium offert." B. XIV. *De Syn. Dioec. l. c.* Tertium est, taxae quantitatem recte variare pro majori minorive exhibendo ministerio, pro peculiaribus nec ne faciendis expensis, pro oneris qualitate vel transitoria vel perpetua. Idcirco alia constituitur taxatio missis lectis, alia simpliciter cantatis, alia solemnioribus, alia funeralibus, alia fundatis; consueta esse solet si hora ordinaria, major autem si hora valde tardiori, et si loco admodum remoto, missa dicenda est.

Luculenter ex his apparet, haud permitti eleemosynae quantitatem mero sacerdotis arbitratui, cum pro sacrificio aliquo nec Ordinarii decretum nec consuetudinis ordinatio definitum stipendium fixit. Quisquis vero adverterit regulas, quas ex probatis auctoribus, imprimis Benedicti XIV aureis scriptis hausimus, effugiet facile periculum ultra modum fasque progrediendi.

71. Praefinita, sive per Episcopum sive per consuetudinem, eleemosyna extremus terminus est ultra quem nemo, sive saecularis sit sive regularis, quidquam jure exigere potest quin Ecclesiae jussa violet et laedendo justitiae commutativae praecepta, restituere obligetur; expetit enim quod superat summam ad quam jus habet, ideoque injustitiae se reum facit partisque jus excedentis debitorem. V. B. XIV *Q. c.* 506, *Inst. Eccl.* 56. *n.* 10, *De Syn. Dioec. l. c. n* 2. et S. Lig *l. c. n.* 320.

72. Sed cuique integrum est, nisi quid competenti auctoritati videtur secus, accepta minori eleemosyna ad missam celebrandam se obligare, siquidem quilibet potest cedere juri suo, atque sine stipendio vel ullo celebrandi

onus in se suscipere. V. Const. Innoc. XII *Nuper* § 3. 21. 22. Verum satisfieri suscepto oneri omnino debet; ita ut sacerdos, qui sive ab uno sive a pluribus eleemosynas accepit minores taxa, quae in Dioecesi constituta est, non possit numerum missarum imminuere, nec unam e. g. missam applicare pro duobus, qui singuli dimidium dederunt stipendium ast specialem missam petierunt. Habet enim Urbani VIII et Innoc. XII decretum § 3: »Pro pluribus missis celebrandis stipendia quantumcumque exigua, sive ab una sive a pluribus collata fuerint, aut conferantur in futurum sacerdotibus et clericis Sacra Congregatio sub obtestatione divini judicii mandat, ut absolute tot missae celebrentur, quot ad rationem attributae eleemosynae praescriptae fuerint a), ita ut alioquin ii, ad quos pertinet, suae obligationi non satisfaciant; quin imo graviter peccent, et ad restitutionem teneantur." Addit s. Lig. *l. c. n.* 320. *Dub.* 3: »Hoc tamen sane intelligendum, quando sacerdos scienter acceptavit; secus si ignoranter." Posset tunc ad rationem consuetae taxae numerum missarum acceptis pecuniis aequare; praestaret tamen praemonere qui dederunt eleemosynas.

73. Cavendum vero in accipiendis stipendiis minoribus, ne consuetae eleemosynae remissione sacrificium missae vilescat, et damnum inferatur aliis sacerdotibus, qui ob fraudulentam illam liberalitatem, debita sibi eleemosyna priventur. Quibus in adjunctis Ordinarii statuere valent, ut sacerdotes non recipiant quid minus eleemosyna taxata; quemadmodum contigit in causa *Sancti Severini*, in qua Episcopo, ad hunc modum interroganti: »Sacerdotes quotidie se offerunt celebrare ad rationem

a) Quod § 22 intelligendum dicitur, „de praescriptione facta ab eo, qui eleemosynam tribuit, non autem ab Ordinario."

tenuis eleemosynae dimidii julii pro qualibet Missa; unde supplicat declarari, an ipse statuere possit eleemosynam manualem unius integri julii pro qualibet Missa, imponendo poenam celebrantibus pro minori quantitate: die 16 Julii 1689 S. Congregatio Concilii respondit: Affirmative, quoad eleemosynam manualem." V. B. XIV *De S. D. l.* 5. *c.* 9. *n.* 2.

74. Nec prohibentur sacerdotes uberiorem eleemosynam a sponte dantibus accipere, dummodo absit dolus et quodcumque pactum etiam implicitum; quo casu neque Episcopos id vetare posse tradunt Doctores (V. S. Lig. *l. c. Dub.* 2.), censuitque S. C. Concilii die 16 Jan. 1649, quum rogata: »An possit Episcopus prohibere sub poena censurarum laicis, ne pinguius stipendium taxae solvant sacerdotibus tam Saecularibus, quam Regularibus, Missam celebrantibus, et quod iidem sacerdotes illud acceptare non possint, etiam a sponte dantibus"; respondit: »Prohiberi non posse." B. XIV *l. c.* et *Inst.* 56. *n.* 11.

75. Interveniente autem dolo vel pacto explicito vel implicito, quo plus constituta taxa acquiritur, sacerdos et inique agit et corrigi ab Episcopo potest. Etenim Sancivit Trid. Conc. ut Episcopi »cujusvis generis mercedum conditiones, pacta... nec non importunas atque illiberales eleemosynarum exactiones potius quam postulationes prohibeant." Quibus verbis decretum non prohibet, pacisci de stipendio ad justam consuetam taxam (v. s. Lig. *Homo Apost. Tract.* 15. *n.* 64.), sed perverse agere significat Episcoporumque correptioni obnoxios esse, qui absque ambagibus plus exigentes, aut importuna prece instantes, aut circumvenientes dolo, aut pactum sive explicitum sive implicitum ineuntes, ultra taxam ab Episcopo vel consuetudine praefixam consequuntur.

76. Ejus igitur eleemosynae, quam appetere cuique

jure licet, norma est in legitima taxa cujusque regionis. Quare si pro celebrandis missis obtulerit quis quamdam pecuniae summam, quin determinaverit ullo modo missarum numerum, sacerdos tot missas legat, quot, habita ratione consueti stipendii pro ea missarum specie, legi debent; ceu statuerunt Urb. VIII et Innoc. XII decernentes § 22: »Quod si tribuens eleemosynam numerum missarum celebrandarum non praescripserit, tunc Missas celebrari debere, quot praescripserit Ordinarius secundum morem civitatis vel provinciae." Consueta itaque taxa in hisce regula est.

77. Itidem si postulatus fuerit certus missarum numerus, non determinata autem eleemosyna, sacerdoti fas est exigere juxta vigentem taxam. Quoniam vero stipendium missarum ex legatis majus esse solet consueta manuali eleemosyna; quaesitum ex S. Sede fuit, »An liberum sit haeredibus eleemosynam sibi bene visam praescribere, an vero eadem eleemosyna praescribenda sit ab Ordinario?" Responderunt Urb. VIII et Innoc. XII § 22: »Ubi nullam certam eleemosynam testator reliquit, esse ab Episcopo praescribendam eleemosynam congruam, quae respondeat oneribus Missarum celebrandarum secundum morem civitatis vel provinciae." Alia his affinia sub *n.* 83 inveniuntur.

§ IV.

Onerum missarum acceptio. Pecuniarum et pretii rerum mobilium investimentum.

78. Quoniam rectores ecclesiarum procurare earum commodum et utilitatem debent, eisdemque in Dei cultum acquirere quodcumque legitime valent, delinquere eos, nisi legitima causa excusat, et contra officium facere

putamus, qui repudiant missarum legata ecclesiis suis relicta. Id cum evenerit, rector restitutionis obligationi potest esse obnoxius; ecclesiae vero, ex repudiatione graviter laesae, jus competere invocandi beneficium restitutionis in integrum. V. Doctores ad *tit. De his quae fiunt a Praelatis.*

79. Quum autem cavenda sit nimia in uno loco coacervatio missarum, Urbani VIII et Innoc. XII decretum saecularibus vetat acceptare *perpetua* missarum onera absque venia Episcopi vel Vicarii Generalis, regularibus vero absque Generalis vel Provincialis licentia, scripto concedenda. Sic enim habet § 8: »quibusvis capitulis, collegiis, societatibus et congregationibus, nec non omnibus et singulis ecclesiarum, ac piorum locorum, tam saecularium, quam regularium superioribus vel aliis, ad quos pertinet, districte prohibet, ne imposterum onera perpetua suscipiant missarum celebrandarum, saeculares quidem sine Episcopi, vel ejus Generalis Vicarii, regulares vero sine Generalis, vel Provincialis consensu et licentia in scriptis et gratis concedenda."

80. Quamobrem onus perpetuum missarum, cum offertur, acceptari non potest confestim, sed recurrendum ad Ordinarium est vel superiorem regularem petendae licentiae causa. Verum tamen haud rogata venia non irrita efficitur acceptio, nam lex prohibet simpliciter, non irritam esse jubet hujusmodi acceptationem. Sic enim animadvertunt Doctores: »Si ecclesia, capitulum, vel confraternitas injunctum missarum onus absque petita Episcopi licentia acceptaverint, adhuc acceptatio esset valida et ad implementum obligaret, quia decreta Urbani VIII clausula irritante munita non sunt, et ita declaratum fuisse a S. Congr. Concilii 16 Jan. 1664 refert Pignatelli *Cons.* 222. circa finem *t.* 4, apud

Monacelli *tit.* 6. *form.* 9. *n.* 4. *p. I.*" Lucidi *l. c. vol.* 2. *p.* 417.

81. De acceptione missarum *manualium* in proposito decreto § 9. et 22. duo statuuntur. Unum est auferendas esse ab ecclesia capsulas »cum inscriptione illa: *Eleemosyna pro missis*, vel alia simili." Alterum est, accipi posse missas manuales, susceptisque superaddi novas, »dummodo infra modicum tempus" possit omnibus satisfieri, nisi in longiorem moram consentiat eleemosynam largiens. Interrogata Sacra Congr. Concilii: »an dictum modicum tempus celebrandi missas reputetur tempus duorum vel trium mensium", rescripsit: »modicum tempus intelligi infra mensem." V. B. XIV. *Inst.* 56. *n.* 14. Dari autem longior mora potest. Quod explicite fit; vel implicite cum v. g. sacerdotem quis rogat, ut ipse velit celebrare sexaginta missas.

82. Poni hic quaestio solet, quanta missarum manualium dilatione peccaturus sit sacerdos; et: utrumne peccatum ex nimia dilatione futurum sit grave, an leve.

R. 1. Utrumne differendo peccaturus sit sacerdos, idque graviter an leviter, existimare debemus considerata tum violatione sive gravi sive levi praecepti ecclesiastici, tum missae celebrandae vel graviori vel leviori necessitate, ex circumstantiis et voluntate offerentis eleemosynam judicanda.

R. 2. Habita ratione praecepti ecclesiastici, sacerdos exonerare infra mensem missas manuales debet; propositum namque decretum, authenticus legis intelligentiae interpres, id liquide docet. Ergo dilatione ultra mensem peccabit, nisi consentiat qui erogavit eleemosynam, hunc quippe casum Urb. VIII et Innoc. XII exceptum voluerunt. Peccabit graviter sacerdos longam trahendo moram, id est, ut aiunt Doctores, differendo ultra duos menses.

S. Lig. *Exam. Ordin. n.* 107. Leviter pecabit, vel immunis a peccato erit, trahendo non longam moram, seu eam probabiliter, quae duos menses non attingit. s. Lig. *De Euch. n.* 317. *q.* 2.

R. 3. Habita ratione necessitatis s. Lig. *l. l. c. c.* docet: *a*) »In missis pro defunctis dilationem unius mensis merito gravem reputant Salm... Pal... Esc.., et ab hac sententia non dissentiunt Sporer, Ronc., Cont. Tourn., et Croix l. c. dum dicunt missas pro defunctis celebrandas citius quam pro vivis." *b*) De missis, quae petuntur pro instanti necessitate, »puta pro felici partu, evadendo periculo, lite vincenda etc." idem sanctus Ecclesiae Doctor *l. c.* tradit, peccare sacerdotem, qui eas infra *tempus celebrationis aptum* non offert, »quia circumstantia temporis tunc pertinet ad substantiam rei petitae, unde transacto eo tempore, merito ajunt Ronc... et Cont. Tourn... quod sacerdos tenetur stipendium restituere, etiamsi postea celebraverit. Imo recte addit Sporer non sufficere, si stipendium restituatur, sed monendum esse insuper eum, qui stipendium dedit, de missis tempore apto omissis." Peccatum ejus sacerdotis grave esse sentio; nam cum ipsa celebratio debita ex eleemosyna graviter obliget, atque circumstantia temporis, quam sacerdos diserte assumpsit, ad ipsam hic pertineat substantiam rei, consequens esse videtur, ut ex justitia graviter teneatur tempore apto celebrare; omittens ergo tempus aptum gravis delicti reus sit. Deinceps autem celebrans satisfacere susceptae obligationi nequit, quia aliud agit et aliud stipulatum est; manet igitur obnoxius restitutionis oneri. Quod de peccati gravitate assevero, id congruere sancti Lig. sententiae opinor, quippe qui in *Exam. Ordin. l. c.* scribit: »si missa dicenda sit pro instanti necessitate, puta imminentis mortis, vel alterius damni, tunc etiam dilatio

unius hebdomadae potest esse mortalis." *c*) De missis, quae petuntur simpliciter et acceptantur celebrandae certo die s. Doctor *de Euch. l. c.* haec habet: »Certum est, quod si quis tibi det eleemosynam, ut celebres pro ipso in festivitate hodierna, peccas si postea sacrum facias; quamvis admittat Lugo posse illud facere die crastina." Sisne vero graviter an leviter delicturus, non enuntiat sanctus vir. Ejus quidem rei dijudicatio, quemadmodum et obligationis restituendi, si postea celebraveris, dependere ab eo videtur, fueritne dies demonstrative tantum an taxative appositus ab elargiente eleemosynam.

83. Hisce de inferiorum munere positis, dicendum est de officio Superiorum, ex quibus venia petitur acceptandi missas perpetuas. Definitur eorum officium in decreto Urb. VIII et Innoc. XII: »Episcopus vero, seu ejus Vicarius Generalis, vel Provincialis, ubi de licentia pro perpetuis oneribus fuerint requisiti, in singulis casibus diligenter inquirant, de singulis missarum celebrandarum obligationibus cuique ecclesiae, monasterio aut loco pio incumbentibus: nec antea assensum hujusmodi, aut licentiam praebeant, quam eis legitime constiterit, illius sacerdotes, tam novo oneri suscipiendo, quam antiquis jam susceptis satisfacere posse, praecipuamque rationem habeant, ut redditus, qui ecclesiis et locis piis relinquuntur, omnino respondeant oneribus adjunctis secundum morem cujusvis civitatis, vel provinciae." § 10.

Ex his habemus, Superiori duo incumbere; primum, non concedere petitam licentiam, nisi, ex instituta dicta diligenti investigatione, eidem constiterit, ecclesiae, monasterii aut loci pii sacerdotes, tam novo oneri suscipiendo, quam antiquis jam susceptis satisfacere posse; alterum est, rationem habere, ut redditibus usitato stipendio pares sint. Judicat igitur, sitne annuendum pro-

positis precibus. Annuit, nisi vetat justa causa, quemadmodum ostendunt rationes, quibus rectori ecclesiae prohiberi diximus repudiare legatum. Considerat, sintne redditus oneribus pares. Efficiuntur pares, cum necessarium est, varia ratione, pro varietate scilicet casuum. Modo determinandus erit numerus missarum, si reddituum quidem, sed non missarum summa statuta est; modo donanti vel haeredibus proponendum bonorum augmentum, cum assignati redditus impositum onus non aequant; modo tandem reducendae erunt missae, quod absque Sedis Apostolicae venia fieri potest, si et donans vivit et donatio nondum acceptata est; aut his etiam deficientibus, si legans aut donans istud permiserit Episcopi judicio.

84. Postquam onus missarum perpetuarum acceptum est, id, ex cognito decreto, summi momenti munus restat: »ut pecuniae ac bona mobilia ecclesiis, capitulis, collegiis, hospitalibus, societatibus, congregationibus, monasteriis, conventibus, ac locis omnibus, tam saecularibus, quam regularibus, atque illorum personis in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo missarum celebrandarum ab iis, ad quos pertinet, sub poena interdicti ab ingressu ecclesiae ipso facto incurrenda, a die realis acquisitionis, statim deponi debeant penes aedem sacram, vel personam fide et facultatibus idoneam, ad effectum illa, seu illorum pretium quam primum investiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa et individua mentione oneris, quod illis adnexum reperitur," § 6. »Ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolica deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium sub eadem poena, ut supra, deponi, atque in aliis bonis stabilibus itidem fructiferis cum ejusdem oneris repetitione, atque annexione converti debeat." § 7.

85. Exigit proposita lex, ut quaeramus et explicemus; Primo: Quid investimentum ecclesiasticum sit.

Est legitima pecuniae collocatio in praediorum emptione, vel in comparatione juris percipiendi fructus ex praedio. Cum igitur pecuniae adhibentur seu *collocantur*, ut aut praedium ematur, aut jus comparetur percipiendi fructus ex praedio, *investiri* pecuniae dicuntur. Quod si practerea collocatio haec perficitur accommodate ad leges ecclesiasticas, *legitimum* appellatur investimentum; non enim collocationis modum leges ecclesiae permittunt cujusvis bene visae sententiae.

Duplex in definitione investimentum continetur; unum fit emendo praedia, aliud comparando jus percipiendi fructus praediorum; unum fit in bonis stabilibus, aliud in censu. *Praedia* distinguuntur tum rustica, ceu prata, agri, tum urbana, ceu domus, aedificia. Rustica praestant urbanis. Dum enim haec variis obnoxia sunt periculis, manutentionibus seu sumptibus conservationis et reparationis, atque senectute et aeris inclementia fatiscunt et corruunt; illa pereunt rarissime, nec tantis incommodis premuntur. Ex quo fit, ut sola rustica bonis stabilibus tutis annumerari soleant, atque prativa et sativa prae caeteris rusticis eligenda sint. V. Trombetta. *Praxeos regulae. c.* VII.

Secundo: Quale investimentum adhibendum est pro pecuniis, quibus annexa sunt onera perpetua Missarum?

Lex ecclesiastica perspicua est; investiri hujusmodi pecunias in bonis immobilibus fructiferis jubet. Quare ex legis praecepto neque in censu, neque in debiti publici litteris, neque in caeteris juribus fructiferis collocari possunt, nisi S. Sedes Apostolica id permiserit. V. resolutiones apud Lucidi *l. c. p.* 419. *sq.* et apud Trombetta *l. c.*

Tertio: Qua ratione de mobilibus bonis, praedictum in finem relictis aut erogatis, disponendum est?

Praecipit lex ut vendantur, pretiumque dicto modo investiatur. Id de ipsis animalibus intelligendum esse S. C. declaravit apud Monacelli. *Form. leg. tit.* 6. *form.* 9. *n.* 3.

Quarto: Quo momento urgere incipit obligatio celebrandi missas?

Non ante haec currere incipit quam absolutum est investimentum (V. Lucidi *l. c. p.* 418); nisi, ut reor, ipsa res relicta et deposita fructus interim ferat.

Quinto: Numquid poena interdicti ipso facto incurrenda, quam minitatur lex § 6 et § 8, sublata est novissima Pii P. P. IX Constitutione *Apostolicae Sedis moderationi* diei Quarto Idus Octobris 1869?

In ejus Constitutionis exordio Pontifex decernit: »ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt, nonnisi illae, quas in hac ipsa inserimus, eoque modo, quo inserimus, robur exinde habeant." Atqui interdictum latae sententiae, de quo sciscitamur, in constitutione Piana insertum non est; abrogatum igitur dici debet. Nemo autem dubitet, poenam interdicti ab ingressu ecclesiae censuram esse; siquidem in *cap. Is cui. De sententia excom. in* 6 irregulares declarantur, quicumque interdictum ab ingressu ecclesiae violaverint; sed irregularitas ex violatione poenae tantummodo contrahitur, cum poena violata est censura. Etiam Doctores id interdictum censuram vocant; Barbosa, *Collect. Doct. in l.* 1. *Sexti Decret. tit.* 14. *c.* 2. *n.* 7; Engel *in tit. De Sent. excom. n.* 99. Tandem summi pretii est, interdictum ab ingressu ecclesiae censuris adnumerari in ipsa Const. *Apost. Sedis moderationi.* tit. *Interdicta... n.* II.

Sexto: Manetne vero ipsa adhuc lex, quantum investiri pecunias jubet?

Manere adhuc dixerim, quam nullo decreto Sedis Apostolicae, nullius legitimae consuetudinis actione sublatam videmus.

Immense creverunt equidem pretia fundorum immobilium frugiferum, ingentes sunt expensae emptionis, gravesque tributi annui, et exigua saepe summa collocanda. Ex quibus non infrequenter contingit, ut investiri in bonis immobilibus pecuniae prorsus nequeant. Quare, cum legi Urbanae et Innocentianae obtemperari potest, eidem obtemperetur, vel dispensatio petatur ex Sancta Sede Apostolica. Cum investiri in bonis stabilibus fructiferis pecuniae omnino non possunt, praedictae legi nequit obediri, sed alia tunc lex, ex Jure Civili Romano in Canonicum translata, videtur urgere, quae jubet investiri legata in bonis stabilibus, aut si talia nequeunt inveniri, in *censibus*.

86. Septimo. Debentne syngrapha debiti publici, et hujusmodi generis aliae litterae, si data fuerint in missas perpetuas, deponi et investiri?

Deponi et investiri utique debent, velut ex Decreto palam est. Sed crebro regulae generali hic erit locus, jure canonico statutae, qua honesta atque aperta donatorum voluntas contrariis juris sanctionibus anteponitur. Quamobrem, si donans jusserit, ut ex ipsis hujusmodi litterarum redditibus, seu tesseris appensis, perpetuae missae legantur, cedit Urbana et Innocentiana lex contrariae donantis voluntati, et non deponuntur nec investiuntur litterae. Idemque eodem in casu de aliis pecuniis dicendum esse apparet.

§ V.

Officia suscipientium onera Missarum.

87. Acceptanti celebrare missas sive perpetuas sive manuales nascitur justitiae commutativae obligatio adimplendi per se vel per alium sacerdotem onus quod suscepit, ideoque restituendi, cum non celebraverit, acceptam eleemosynam. Etenim fideles stipendium ministro sacro largiuntur sub celebrandi onere; minister autem id acceptans oblato onere perfungi consentit.

Pari ratione petenti a sacerdote missae sacrificium nascitur obligatio justitiae commutativae, ut expleto onere stipendium solvat. Nam obtulit porrigere eleemosynam, si placuerit sacerdoti litare sacrificium; atqui annuit hic fecitque satis oneri. »Intervenit ergo vera ratio justitiae, fundata in mutuo consensu utrimque oneroso, qui explicatur his verbis, do ut facias; hic autem est titulus justitiae." Suarez *De Sacr. Missae. disp.* 86 *sect* 1. *n.* 1.

88. Quocirca peccat sacerdos, qui ex justitia cum celebrare debet, tamen neque celebrat aut celebrari curat, neque stipendium reddit. Et graviter peccabit profecto, si porrecta eleemosyna gravis materia est; nam grave damnum, saltem temporale, non restituendo infert. Quod si vero eleemosyna non est materia gravis, tamen ex probabiliori sententia graviter delinquet propter grave damnum spirituale quod injuste causat; siquidem gravitas objecti in hisce quasi contractibus non est ponderanda ex stipendio, sed ex fructu sacrificii, qui gravis est, et quo donans privatur. V. S. Lig. *De Euch. n.* 317.

89. Habet autem suscepta onerum expletio multa

officia. Quae apte reduci posse censemus ad obligationem celebrandi per se vel per alium; ad subministrationem totius acceptae eleemosynae cum alteri committitur missae oblatio; ad debitam sacrificii applicationem; ad speciem missae, locum et tempus ab elargientibus eleemosynas determinata.

Art. I.

Celebratio personalis.

90. Explentur onera missarum vel per illum ipsum, qui onus suscepit, vel, eo curante, per alium. Alterutrius agendi facultas pendet in voluntate tribuentis onera. Qui tamen si aliter non significat, supponitur electionem reliquisse arbitrio suscipientis. Quapropter, observata duplici missae perpetuae et manualis specie, ad quaestionem, sitne ille, qui missarum onera suscepit, obligatus eadem per se ipsum exsolvere, respondemus:

1. Nulla lege cogitur sacerdos personaliter offerre missam *manualem* quam accepit, nisi ea fuerit dantis voluntas, ut ipse ille sacerdos personaliter celebret. Pactum tunc violaret atque delinqueret tradendo missam alteri sacerdoti. Peccatum ejus veniale erit plerumque, quia communiter ex mente dantis expletio personalis non pertinebit ad pacti substantiam, atque propterea peccatum istud justa causa cavetur. Mortale esse potest, si elargiens prorsus voluerit, ut ipse, non alius, sacrificium offerat. V. S. Lig. *De Euch. n.* 321 in fine.

Posset hic inquiri, liceatne commutare missas retento stipendio; et, fasne sit tradere alteri missam retenta parte stipendii; sed de his inferius disputabitur.

2. Potest sacerdos committere alteri presbytero cele-

brationem missarum *perpetuarum*, nisi fundator aperte eidem jusserit celebrare per se ipsum. S. Lig. *l. c. n.* 330. Id autem jussisse non censetur cum exigit, ut is cui onus dabitur, presbyter sit, ut celebret, utve resideat. Nam: »Vix hodie in Tribunalibus admitti[tur], quod sacerdos teneatur celebrare per se ipsum, nisi claris et rotundis litteris fundator dicat, eum debere celebrare *per se ipsum;* nec enim sufficit, quod dicat eum debere esse Presbyterum, eum debere celebrare, eum debere residere, cum haec omnia dicantur compatibilia cum facultate celebrandi per alium, juxta famigeratam deciś. 825 coram Merlino et late deducta in Cremonem. Benef. 9 Martii 1714 coram R. D. Lancetta, et in eadem 4 Febr. 1715 coram R. P. D. Cerro." B. XIV *Quaest. Can.* 281.

91. Sed quandoque incidit obstaculum, quo quis impeditur ab implendo suscepto onere. Quo in eventu mens donantis praecipua erit officii regula. Quare, ut uno conspectu realem et personalem obligationem complectamur, dicimus:

1. Missas manuales, quas personaliter explere quis debet, sed offerre impeditur, reddendas elargientibus esse sentio, nisi permiserint hi ut incurrente impedimento sacrificium omittatur aut celebrandum tradatur alteri. Quae vero personaliter non obligant, cum expleri possint per alium, committendae alteri sunt quando accipiens eas non explet. Haec omnia, ni fallor, perspicuae donantium menti sunt accommodata.

2. Missas perpetuas, quas sacerdos per se ipsum offerre non cogitur, celebrare per alium debet, cum ipse impeditus easdem non celebrat. Id apparet tum ex mente fundatoris permittentis sui sacerdotis arbitrio, velitne per se an per alium satisfacere; tum ex S. Congr. Concilii decreto diei 18 Sept. 1683. Interrogata: Sexto »An sa-

cerdotes obligati [ratione beneficii, capellaniae, legati aut stipendii] celebrare quotidie, absque tamen onere celebrandi per se ipsos, possint aliquando a celebratione vacare;" respondit: »Ad sextum, negative." V. B. XIV *De Sacrif. Missae l.* 3. *c.* 3. *n.* 7. Missas perpetuas, quas sacerdos jussus est celebrare quotidie per se ipsum, non tenetur incidente justo impedimento vel legitima causa, celebrare, quemadmodum definivit s. Congr. Conc. Cum rogaretur ante dictis die et anno: »Primo, an sacerdotes obligati ratione beneficii, capellaniae, legati, aut stipendii celebrare quotidie missam per se ipsos, possint aliquando a celebratione vacare; et quatenus affirmative: Secundo, quando et quoties a dicta celebratione vacare possint," respondit: »Ad Primum affirmative, concurrente aliqua legitima causa. Ad secundum ut ad proximum." Potest igitur a celebratione abstinere cum legitimum impedimentum incidit. Sed insuper, cum non longae morae est legitimum impedimentum, e. g. brevis infirmitas, non tenetur missarum celebrationem alteri committere, nisi fundator disposuit secus. V. S. Lig. *l. c. n.* 333 et Rigantium in *reg.* 24. *Cancell.* § V. Responsi ratio exhibetur statim *n.* 93.

92. Apparet operae pretium esse, investigare diligenter, quae brevis existimetur infirmitas, quodque dicatur non longae morae impedimentum. Deest vero hic regula omnibus numeris absoluta. Proponit S. Lig. *l. c.* diversas doctorum sententias: »Alii dicunt, si durat [infirmitas] per decem dies, ut Barbosa.... Alii extendunt ad quindecim dies, ut Bon... Et de hoc habetur declaratio S. C. C. edita die 17 Nov. 1695 (apud Pitton. de paroch. n. 1595) ubi dictum fuit non teneri Capellanum per alium supplere, tempore infirmitatis non excedentis quindecim dies. Alii ad mensem, ut Laym... Alii de-

nique extendunt ad duos menses, ut Lugo... Omnes autem hae opiniones videntur probabiles." Vereor tamen ne haec sancti viri sententia benignior sit. Nam in *Quaestione Canonica* 281 Benedictus XIV haec de causa nostra habet: »Nulla cadente dubitatione, quod juxta sensum hujus Sacrae Congregationis [Concilii] sacerdos obligatus ad celebrandum per se ipsum, teneatur celebrare per alium in casu saltem longae infirmitatis: Sic enim resolutum fuit in *Romana celebrationis Missarum 4 Junii* 1689 in casu cappellani, qui erat obligatus ad celebrandum per se ipsum, et omiserat propter infirmitatem celebrationem quadraginta sex missarum. Proposito quippe dubio, *an cappellanus obligatus quotidie celebrare per se ipsum potuerit omittere celebrationem pro dicto tempore infirmitatis, et nihilominus eleemosynam praetermissae celebrationis consequi*, responsum fuit *negative, et teneri supplere per alium celebrationem Missarum omissam occasione infirmitatis.* Consimilis est resolutio in alia Romana 2 Octobris 1721."

93. Fundamentum ejus judicii, quo Doctores, justa cum causa subest, liberum ab onere celebrandi et substituendi eum sacerdotem declarant, qui per se ipsum quotidie celebrare tenetur, itidemque ratio, cur S. Congregationis decreta, ne nimium habenae laxentur, cavent, reponenda esse videntur in aequa et probabili fundationis interpretatione, qua fundator sacerdoti, quotidie pro ipso sacris operanti, id levaminis, cum infirmitate aut alia legitima causa impeditur, concedere jure aestimetur, quod dum sacerdoti prodest, non nimis noceat sibi ipsi.

Hanc regulam cum sequor, intelligo facile dari sacerdotibus posse, qui per se ipsos celebrare quotidie pro fundatore obligantur, ut quater vel sexies in anno celebrent pro se ipso, vel gratis pro valde sibi conjuncto

aut charissimo amico vel benefactore (apud S. Lig. *n.* 332) quin alium sibi substituant; itemque devotionis et reverentiae causa aliquoties per annum abstineant a sacrificando (*c. Significatum. De Praebendis*); moderatam quoque justo occurrente impedimento, decem vel esto quindecim dierum veniam recte tribui hujusmodi sacerdotibus; intelligo insuper constringi eosdem, cum causa diu manet, ut alium sacerdotem adhibeant implendi oneris gratia. Sed illi nequeo assentiri sententiae, quae ipsis unam missam quavis hebdomada devotionis et reverentiae causa omittere annuit (apud S. Lig. *l. c.*); nam longe excedit ista libertas ipsum numerum quadraginta sex missarum, quam S. Congr. Concilii in memorato decreto improbandum judicavit. Vide alios casus de celebratione assignatis affixa diebus infra *n.* 138.

94. Potestne autem capellanus, a celebrando legitima causa excusatus, Missam pro se vel pro alio celebrare, atque stipendium pro hujusmodi celebratione recipere?

Illicitum utrumque est; non potest scilicet eo die, quo omittit sacrificium facere pro fundatore, missam pro se vel pro alio celebrare, multoque minus eleemosynam accipere. Etenim repugnat utrumque pacto cum fundatore inito, atque reprobatum est perspicuo decreto S. C. C. diei 18 Sept. 1683. Cum nimirum peteretur ex ipsa: »Tertio, an [sacerdotes obligati ratione beneficii, capellaniae, legati, aut stipendii celebrare quotidie Missam per se ipsos] diebus licitae vacationis possint Missam pro se ipsis, vel aliis, praeterquam pro fundatoribus celebrare; et quatenus affirmative: Quarto, an pro aliis celebrando possint stipendium pro hujusmodi celebratione recipere"; resolvit: »Ad Tertium, negative. Ad Quartum, negative." V. B. XIV *De Sacrif. Missae l. c. n.* 6. *et* 7.

Art. II.

Subministratio totius eleemosynae cum alteri accepta missa celebranda committitur.

95. Taxa stipendii missae perpetuae major esse suevit taxa stipendii missae manualis; redditus legatorum, capellaniarum, beneficiorum, superare solent eleemosynarum manualium summam; haud infrequenter fideles stipendia offerunt ad celebrandas adventitias missas excedentia taxam constitutam; eleemosynae missarum taxatio major est in una quam in alia regione.

Nata ex his disputatio est, possitne qui hujusmodi pinguiores eleemosynas accepit redditusve possidet, sed alteri sacrificia explenda tradit, partem sibi retinere. Complectitur ea disputatio casus obscuriores, solutu haud faciles. Cujus rei difficultas non invenitur sane in monstrando et intelligendo principio, solutionum fonte, sed in ejus principii practico usu.

96. Principium primum, quo haec causa regitur, voluntas est seu mens praebentium eleemosynas et redditus missarum. Fideles nimirum bona sua usurpant in finem sibi bene visum. Ad quem autem finem bona sua referunt, ad eum ipsum sunt adhibenda, ita ut, qui bona illa partemve eorum in alium distrahit finem, justitiae legem transgrediatur atque restitutionis debito obnoxius fiat. Naturae jus id docet, palamque jure ecclesiastico confirmatur. Nam Conc. Viennense praecipit, ut »ea, quae ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium (salva quidem Sedis Apostolicae auctoritate) converti.'' (In *Clem. c.*

Quia contingit. De religiosis domib.) Atqui in re, de qua dicimus, eleemosynas suas tribuunt fideles aut in solam celebrationem missae, aut ad finem celebrationis adjungunt alium, e. g. cupiunt subsidium liberale praebere parocho, sacellano, destinantes sic eleemosynam partim in celebrationem missae partim in peculiare commodum parochi, sacellani. Ex quibus manifestum est, contingere posse, modo ut tota accepta eleemosyna, sub poena furti (cfr. B. XIV Const. *Quanta cura* § 2), porrigi debeat celebranti missam, modo ut retineri pars aliqua possit. Quod, ut jam liqueat, ex mente pendet dantium stipendia et redditus bonorum. Quae tamen mens cum lateat crebro, id est, cum saepe nesciatur fueritne fini celebrationis adjunctus alius finis, nescitur pariter possitne stipendii ea pars, quae superat taxam consuetam, retineri. Ignoratio igitur mentis offerentium eleemosynas causa est molestiarum.

97. Principium secundum potestas est atque Sanctae Sedis Apostolicae ordinatio. Bona nimirum, reditus, eleemosynae onerum missarum, subjecta sunt ecclesiasticae jurisdictioni, Romani Pontificis imperio. (Cfr. Conc. Vien. praec. num.) Qui pro suprema plenaque ecclesiastica potestate, quae donata a Domino est Successoribus Petri (Matt. 16.19), bonis istis moderatur habita ratione tum mentis elargientium, tum optimae, quam adjuncta permittant, onerum executionis. Postulant autem adjuncta quandoque, vel in ipsam onerum aptam expletionem, ut quaedam ex eleemosynis detrahatur vel cedatur portio. Incidente hujusmodi praesertim necessitate Romanus Pontifex suprema sua potestate utitur, ut detrahi vel postulari quamdam eleemosynarum partem concedat; in quibus statuendis negotiis opem Urbis Congregationum plerumque adhibet.

98. Duae ex his in promptu sunt legitimae causae,

quibus fieri potest, ut eleemosynis missarum pars detrahatur licite.

Tertia his addatur causa, spontanea videlicet prorsusque liberalis cessio ab iis facta, qui onus celebrandi explent; hi etenim de re sibi propria disponunt.

99. Quibus sic positis, regula hujus loci haec sit: Non licet quidquam detrahere missarum eleemosynis, nisi permittente aut voluntate donantium eleemosynas, aut spontanea prorsusque liberali cessione explentium onera, aut Sanctae Apostolicae Sedis ordinatione.

Probatur thesis tum ex lege naturali et ecclesiastica de adhibendis bonis in finem a donantibus intentum, de quo ante cumulate nos dixisse putamus; tum ex peculiaribus de ipso hoc argumento sanctionibus ecclesiasticis, quae exhibendae nunc sunt.

Incurrimus primo in Urbani VIII et Innoc. XII saepe propositum decretum, quod § 5 sic habet: »Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet sacerdoti, qui missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem missam alteri, parte ejusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat.“

Promulgata hac lege ausi sunt nonnulli rem damnatam etiamnum licitam dicere, decretum non acceptatum fuisse objicientes, quasi vero ab acceptatione penderet legis obligatio, atque ipsa res sponte sua iniqua non esset et injusta. Quamobrem Alexander VII inter damnatas propositiones adnumeravit: »Post decretum Urbani potest sacerdos, cui missae celebrandae traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.“

Serpere nihilominus cum iste abusus non desineret, Benedictus XIV in Const. *Quanta cura* diei 30 Junii 1741 detractionem partis denuo prohibuit, atque poenarum metu

turpem quaestum penitus extinguere conatus est, quod laeto cum successu tentavit. Placet ex hac constitutione duo notare; primum, declarari § 3 non posse sacerdotem, qui eleemosynam majoris pretii accepit, sacerdoti celebraturo eleemosynam minoris pretii erogare »etsi eidem sacerdoti missam celebranti, et consentienti, se majoris pretii stipendium, seu eleemosynam accepisse indicasset." Deinde, § 5. Ordinariis locorum jubet: universis notum faciant, »quemcumque qui eleemosynas seu stipendia majoris pretii pro missis celebrandis, quemadmodum locorum consuetudines, vel synodalia statuta exigunt, colligens, missas, retenta sibi parte earumdem eleemosynarum, seu stipendiorum acceptorum, sive ibidem, sive alibi, ubi pro missis celebrandis minora stipendia, seu eleemosynae tribuuntur, celebrari fecerit, Laicum quidem seu Saecularem praeter alias arbitrio vestro irrogandas poenas, Excommunicationis poenam, Clericum vero, sive quemcumque sacerdotem, poenam suspensionis ipso facto incurrere", easdemque Sedi Apostolicae reservatas esse.

Docuit experientia disciplinam poenarum laetissimos in hac re bono animarum fructus protulisse. Propterea cum nuperrime SSmus D. N. P. Pius IX in Const. *Apostolicae Sedis moderationi* ex censurarum numero alias aboleret, alias mutaret, de praedicta disposuit sic: »Excommunicationi latae sententiae Romano Pontifici reservatae subjacere declaramus.... XII. Colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent."

100. Antequam ad modo demonstratam propositionem, uberioris explicationis gratia, revertamur, contulisse jus naturale cum proposito Pontificio jure expediet, atque pauca quaedam, scitu necessaria, notasse de memoratis

censuris in retinentes partem eleemosynarum, atque lucrum ex iis captantes, statutis.

In quo igitur convenit, in quo discrepat juris naturalis et juris ecclesiastici prohibitio ?

R. 1. Juris Ecclesiae prohibitio *generalis*, quae distrahi vetat bona ab usu ad quem ex donantium voluntate adhibenda sunt, tam late patet quam prohibitio juris naturae; ita ut pari ratione tum in missas manuales tum in perpetuas utraque valeat.

R. 2. Prohibitio *peculiaris* Urbani VIII et Innoc. XII, Alex. VII, et Ben. XIV solas spectat missas manuales, sicuti traditur a Doctoribus (V. S. Lig. *De Euch. n.* 321 *al. Idem licet*); neque alias spectare Pii IX censuram, mox ostendere conabimur. Longius igitur constitutionibus illis ecclesiasticis progreditur jus naturale. Ex quo consequens est, ut qui legem naturalem non transgreditur, is neque offendat legem ecclesiasticam, ut autem peccato gravi obnoxius esse possit et restituendi debito obligari, qui non violaverit indicatas ecclesiasticas leges.

101. Sed numquid poena Benedictina commutata est per Pii IX Constitutionem *Apostolicae Sedis moderationi ?*

R. Benedictus XIV in legis suae transgressores clericos statuit poenam suspensionis, in laicos excommunicationis ipso facto contrahendam. Pius P.P. IX absque discrimine omnes eadem plectit latae excommunicationis sententia, Romano Pontifici reservata. Quam ob rem abrogata dici debet poena suspensionis clericorum; extensa vero poena excommunicationis in ipsos etiam clericos; nam Pontifex Pius IX decernit: »ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quae per modum latae sententiae, ipsoque facto incurrendae hactenus impositae sunt,

nonnisi illae, quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo quo inserimus, robur exinde habeant."

102. Qui tandem incurrunt istam latae sententiae excommunicationem, reservatam sedi Apostolicae?

Pontifex statuit: »*Colligentes eleemosynas majoris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.*"

103. Placebit hujus legis singula verba attente inspicere et considerare, ut quae sit ejus vis planius intelligamus. In qua re peragenda prae oculis haberi duo debent: tum illud, quod ex Constitutionis Prooemio jam ante audivimus, decernere videlicet Pontificem, ut censurae, quas recenset, »*eo modo quo* inserimus, robur exinde habeant"; tum illud, quod pariter praemonet Pontifex, censuras, quae in antiquioribus canonibus leguntur, eo sensu, quo ibi sunt, intelligendas esse, quatenus cum praesenti Constitutione congruunt. Ait enim: »simul declarantes, easdem non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione conveniunt, verum etiam hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editae ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere." Duplicem in his interpretandae legis regulam habemus. Prima est: Eo modo, quo censurae latae sententiae Constitutioni Pianae inseruntur, robur habent. Altera: Cum dicta Constitutio non aliter ordinat, intelligendae sunt censurae juxta ipsas veteres leges.

104. Et nunc censurae explicationem videamus.

Spectat poena *Colligentes* eleemosynas, nullo facto discrimine personarum, nulla posita exceptione, ideoque tum laicos tum clericos. Uterque Pontifex, Benedictus XIV et Pius IX, eadem voce *colligens* utitur ad desig-

nandum passivum poenae subjectum. Si quod aliud Pius IX usurpasset verbum, exempli gratia *Accipientes*, legis suae vim vel extendisset vel contraxisset pro novi verbi significatione. Id cum non fecerit, usui esse potest, quod in censuram Benedicti XIV advertit S. Lig. *l. c. n.* 322. *Dub.* 3: »Pontifex censetur tantum eos damnare voluisse, qui ex industria eleemosynas colligunt, ut ex iis turpem faciant quaestum." Non ad eum igitur poena referatur, qui partem stipendii retinet, ast non collegit; nec ad alium, qui retinet partem, atque collegit eleemosynas, minime vero lucri faciendi causa.

Verbo *colligentes* additur in lege: *eleemosynas majoris pretii;* quae nempe taxam superant ejus loci, ubi deinceps celebrandae dantur. Id enim significari puto per verba: »faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent."

Sequitur: *pro Missis.* Quamquam lex universaliter loquatur, tamen ex proposita secunda interpretandi regula, solas missas manuales spectare opinor; nam eadem Benedicti XIV locutio generalis »pro missis", de solis, ut auctores docent, agit manualibus missis. V. S. Lig. *l. c. n.* 321. *Al. Idem licet.*

Pergitur: *et ex iis lucrum captantes.* Quae verba uberiorem considerationem postulant. Primum illis intelligi datur, non satis esse collector mentem captandi lucrum habeat, insuper exigi re ipsa ex iis lucrum consequatur. Deinde, cum verba *ex iis* adnectis voci *colligentes*, clare vides sermonem esse non de una alterave missa, sed de pluribus, de quadam collectione ad lucrum reportandum facta. — Tertio, voces *lucrum captantes* scriptae sunt pro aliis; *retenta sibi parte earumdem eleemosynarum*, quae leguntur in lege Benedicti XIV. Hic idcirco prae oculis habenda est prima proposita in-

terpretandi regula, quae docet, cum loquendi modus Pii IX discrepat ab eo, qui in vetere censura est, robur censurae intelligendum esse juxta Pii IX verba. Novae dictioni, *Lucrum captare ex eleemosynis*, cum antiquam confero, *retinere partem eleemosynarum*, non tantum aliam video legis formulam, sed novam legem latius quam antiquam patere suspicor. Qui partem stipendiis detrahit, is lucrum ex eleemosynis captat profecto, ideoque contra hanc legem indubitanter facit. Et unus hic antiquam legem violabat. Qui non detrahit stipendiis partem, ita ut totam quam accepit eleemosynarum snmmam tradat celebranti, verum ex negotiatione seu permutatione cum mercibus commodum consequitur, aut ex lucri promissione vel condicto agit et remuneratur, is, etsi partem stipendii non retinet, tamen ex eleemosynarum collectione mihi videtur lucrum captare. Quocirca lucrum, quod hic spectatur, captari posse autumo non solum ex partis illicita detractione, sed etiam ex modo turpi, quo alia via ex stipendiorum collectione commodum petitur. — Quarto, turpe lucrum hic percelli censeo. Turpe potest esse, quoniam aut detrahitur quid stipendio contra voluntatem donantis eleemosynam, aut accipiens partem remittit collectori haud sponte prorsus et liberaliter, aut alia illicita via lucrum comparatur ex eleemosynis. Huc pertinet quod apud S. Lig. habemus *l. c. n.* 322. *Dub.* 3. Sciscitatur: »an sacerdos colligens eleemosynas pro celebrandis missis, possit aliquid retinere pro suo labore, si missae non tradantur ipsi, ut ab ipso celebrentur?" Respondet: »Negat Conc... Affirmat tamen Viva *l. sup. c.* si talis sacerdos moderatam retineat mercedem juxta rationem sui laboris. Idque non videtur improbabile, si ille ad hoc munus sit destinatus, et suus labor vere mercedem mereatur; tunc enim hujusmodi

merces ei debetur ex naturali aequitate, et ex voluntate ipsorum eleemosynas offerentium. Pontifex autem censetur tantum eos damnare voluisse, qui ex industria eleemosynas colligunt, ut ex eis turpem faciant quaestum." Huc pariter spectat, quod inferius exponemus, immunem ab incurrenda censura videri collectorem, si celebrans, cui onera explenda tradit, sponte omnino et liberaliter, non rogatus, nullo pacto sollicitatus, nullo metu impulsus, partem eidem concedit; itidemque si detracta pars ad eum pertinet ex mente donantium. Tandem et huc casum referamus, quo, qui collegit absque lucri consilio, totamque eleemosynarum summam porrexit celebranti, remunerationem quamdam consequitur, sponte plane et liberaliter oblatam.

Deinceps censura habet: *faciendo eas celebrari.* Quibus verbis discernitur alius, qui colligit et, celebrando eas majoris pretii eleemosynas, commodum refert, et alius qui colligit atque faciendo celebrari lucrum captat. Hic, non ille, contra legem facit.

Extremum est: *in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent.* Pro dictione *in locis* censura Benedicti XIV habet: »*sive ibidem, sive alibi*, ubi pro missis celebrandis minora stipendia seu eleemosynae tribuuntur, celebrari fecerit." Formulae discrimen, atque idcirco prima superius posita interpretandi regula, impellit quaeramus, possitne dici, censuram spectare ea dumtaxat loca, ubi eleemosynae non fuerunt collectae. Quamquam in re tam gravi, nulla affulgente luce neque ex authentica, neque ex doctrinali legis interpretatione, admodum animo haesitem, tamen quod mihi potius probatur, breviter expromam. Cum sola vocula *in locis* aspicio, idem significari suspicor ac *sive ibidem sive alibi.* Sed, cum ante dictam regulam primam mente

volvens, factam formulae commutationem meditor, totumque censurae textum perpendo, praesertimque discretionem contemplor, quae fieri videtur inter locum collectionis, ubi major, atque locum celebrationis, ubi minor taxa est, haec inquam ob oculos cum sunt, me ad id inclinari magis sentio, ut sola loca, ubi non est facta collectio missarum, a Pontifice Pio IX spectari aestimem.

Quae si recta sunt, immunis a censura hoc titulo erit rector ecclesiae, qui alia stipendia, praeterquam taxam statutam superantia, non nisi aegre accipiens, ex illis, quas accepit, majoris pretii eleemosynis sibi partem retinet, cum in sua vel in alia ejus loci ecclesia missas celebrari facit.

106. Haec hactenus, digrediendo a posita thesi, de legis ecclesiasticae poenali sanctione dicta sint. Ut interrupta nunc connectentur, id unum animadvertamus, officium justitiae, porrigendi totam acceptam eleemosynam, longius progredi exhibitis Urbani VIII lege et censura Pii IX, ita ut restituendi debito constringi possit, qui neque in decretum Urbani, neque in Pii IX censuram peccavit. Quamobrem, aliud est quaerere, incideritne lucrum captans in excommunicationem, aliud debeatne reddere quod detraxit. Et jam, ad explicationem regulae ex qua egressi sumus, revertamur.

107. Prohiberi diximus quidquam detrahere missarum eleemosynae, nisi idipsum permittat aut voluntas elargientis eleemosynam, aut spontanea cessio suscipientium onus celebrandi, aut denique S. Sedis Apostolicae ordinatio.

108. Prima exceptio voluntas est largientium eleemosynas. Fideles bona sua usurpant in finem sibi bene visum; sicque eleemosynas missarum aut tribuunt in solam celebrationem missae, aut celebrationis fini adjun-

gunt alium, v. g. commodum parochi. In quo postremo eventu pars seu summa exuberans consuetam taxam ejus est, illi prodest, cui favet donantis benevolentia. Quoties itaque moraliter constat sive ex verbis sive ex circumstantiis, voluisse, qui eleemosynas vel redditus pinguiores tribuit, partem exuberantem prodesse certae personae, toties ea, cum onus per alium explet, sibi vindicare hanc partem potest. V. S. Lig. *l. c. n.* 321 Al. *Ab hac tamen.* Propositum exemplis illustremus.

a) Eleemosynae pro missis *manualibus* pinguiores usitata taxa non raro cuipiam traduntur, quia est dantis consanguineus, amicus, vel quia pauper est, vel quia donanti praestitit aut praestiturus est servitium spirituale aut temporale, uno verbo, ratione qualitatis personalis, ut aiunt. Huic stipendium minuere ad consuetam istius loci taxam licet. — Sic etiam stipendium exequiarum majus dari consuevit majusque esse ratione curae spiritualis, quam defuncto praestitit parochus, et quandoque ratione expensarum apparatus funebris, qui a parochis fit. Et hi propterea committentes alteri sacerdoti celebrationem missae funeralis, eique tradentes solitum cantatae aut solemnis missae stipendium, neque injuste faciunt neque illicite cum sibi retinent eleemosynae reliquam partem. — Pariter cum eleemosyna augetur, quia rector ecclesiae denuntiari fidelibus curat petita sacrificia, pars ea, quae superadditur, rectoris ecclesiae est.

b) In *legatis* missarum, sive perpetuarum sive manualium, haud quidquam legantes saepe spectant, nisi missas celebrari; aliquando tamen tum missas sibi applicare intendunt, tum peculiare signum affectus cuipiam praebere, aut redditus parochi seu sacellani, etc., meliores facere. Quapropter si stipendium, consueto pinguius fuerit, vel redditus majores, constiteritque morali

certitudine, sive ex verbis legati sive ex adjunctis, respici a legante parochi commodum vel alius cujuspiam sacerdotis, poterit is, cum per alium onus impleri curat, detrahere eam partem, quae excedit istius loci tunc cum missae legabantur usitatum stipendium. Sic itaque agere fas est sacerdoti, »cui commissa est celebratio ex pingui legato, ad vitam ipsi relicto cum onere missarum" (S. Lig. *l. c.* Al. *Idem licet*); res enim ipsa loquitur, respexisse legantem et missae oblationem et ejus sacerdotis commodum. — Similiter, cum quis legans bona ecclesiae, quamdam decernit pro parocho aut vicario reddituum quantitatem vel certum stipendium in celebrationem determinati numeri missarum, hi autem redditus seu stipendia consuetam eleemosynam excedunt, judicandum videtur leganti in mente fuisse, prodesse per illud augmentum parocho, vicario, pro muniis parochialibus, quae obeunt; integrum propterea his fore, ut exonerantes per alios obligationem missarum, putato commodo utantur. — Sed saepe, monui, nulla in legatis missarum mentio est propositi commodi in gratiam diversi a celebrante sacerdotis, nec aliunde constat de hujusmodi legantis animo. Quare tota tunc eleemosyna, redditus omnes, ipsis celebrantibus porrigi debent. Quod definitum fuit S. Congregationis Concilii decreto in causa Coloniensi *Eleemosynae Missarum* die 18 Julii 1868: »In Archidioecesi Coloniensi permultae existunt fundationes Missarum, pro quibus certa stipendia ordinario majora constituta sunt. Hae missae beneficio non inhaerent, sed tum ab Ordinario, tum a fundatoribus vel provisoribus Ecclesiarum certis sacerdotibus persolvendae assignantur. Haud raro evenit, ut ii, quibus hae Missae modo praedicto assignatae sunt, impediantur quominus ipsi easdem persolvant, tum propter exequias habendas,

tum propter stipendia manualia, quae a fidelibus oblata, attentis circumstantiis particularibus, rejici non possunt, vel alias ob causas legitime excusantes ... Quaeritur, utrum sacerdotes supranominati, si legitime impediti fuerint, quominus Missas, modo supra exposito sibi assignatas, ipsi celebrent, celebrationem harum Missarum alteri Sacerdoti sic tradere debeant, ut *totum* stipendium, *fundatione constitutum*, pro celebratione Missarum solvendum sit; an potius sufficiat ordinarium, ita ut quae supersunt, a Sacerdotibus quibus hae Missae assignatae sunt, tuta conscientia retineri possint." S. C. Concilii expensis precibus in comitiis habitis die 18 Julii 1868 respondit: »Juxta exposita solvendum esse integrum stipendium."

c) De *beneficiariis* in Bulla *Nuper* Innoc. XII decernitur § 21. *ad* 8: »satis esse, ut rector beneficii, qui potest missam per alium celebrare, tribuat sacerdoti celebranti eleemosynam congruam, secundum morem civitatis vel provinciae, nisi in fundatione beneficii aliud cautum fuerit." Beneficiariis siquidem, ex mente fundatorum, tota relinquitur massa reddituum, tum ut missas celebrent, saepeque ut et aliis perfungantur officiis, tum ut habeant, quo decenter honesteque vitam ducere possint. Quamobrem his quoque fas est, si per alios celebrare queunt, ut substituto sacerdoti consuetum offerant stipendium, illius loci, ubi celebratur, nisi aliter statuit fundator beneficii.

d) In multis etiam missarum *capellaniis* universa reddituum summa capellani est, destinata tum offerendis sacrificiis, tum capellani honesto vitae agendae subsidio; sed in nonnullis assignatur capellano pro singulis missis statum stipendium. Qui prioris generis capellaniam habet, substitutoque celebranti stipendium tribuit ad definitam loci celebrationis taxam accommodatum, officio satisfacit;

qui secundi generis, totum pro singulis missis a fundatore praefixum stipendium dare tenetur, nisi de jure retinendi partem constet. Adducit de capellaniis missarum S. Lig. (*l. c. n.* 321 Al. *Idem licet*) decretum S. C. C. diei 15 Martii 1745 »ubi dictum fuit id licere, *modo pro capellania certi reditus sint annuatim constituti, et perpetuo capellano assignati; secus vero, si hujusmodi capellano pro qualibet missa celebranda certa detur eleemosyna.*"

109. Sequitur secunda exceptio; partis nimirum seu lucri spontanea et liberalis cessio per sacerdotem, qui onus litandi sacrificium suscipit. Celebrantis quippe jus est et totum remittere stipendium, et partem donanti cedere, eidemque praemio aliquo gratum animum referre. Verum tamen, quum hic plana via pateat ad abusum »execrabilem... Romani Pontifices... decretum voluerunt, nimirum a quolibet Sacerdote stipendio, seu eleemosyna majoris pretii pro celebratione Missae a quocumque accepta, non posse alteri Sacerdoti Missam hujusmodi celebraturo stipendium, seu eleemosynam minoris pretii erogari, etsi eidem Sacerdoti Missam celebranti, et consentienti, se majoris pretii stipendium, seu eleemosynam accepisse indicasset." B. XIV Const. *Quanta cura.* § 3. Propterea, quum celebrantis consensio haud sufficiat, arctis valde limitibus contineri praesens lucri titulus dicendus est. Postulant Doctores, spontanea prorsus atque liberalis cessio sit; celebrans ne rogetur, ullo pacto ne sollicitetur ut partem remittat, ut quid detrahi annuat (V. S. Lig. *l. c.* Al. *Excipiunt II*); timore ne impellatur, ut aliter agens stipendiis deinceps careat (Bill. *De Euch. d.* 8. *a.* 6). Quocirca istud quod offertur tum demum poterit acceptari, si alteri, candide et sincere tradenti stipendium integrum, alter motu spontaneo et liberali porrigit partem.

110. Superest exceptio tertia; Sanctae Sedis Apostolicae ordinatio. Cujus id efficiendi potestas satis proposita ante fuit. V. *n.* 99. Id tantummodo adjiciatur, unius videlicet Romani Pontificis munus facultatemque esse concedendi veniam, ut quid detrahatur ex Missarum eleemosynis. Quod perspicuum sit ex generalis in hac re legis ecclesiasticae prohibitione, quae dum vetat minuere Missarum eleemosynas, sponte sua uni Sedi Apostolicae reservat huic legi derogare.

Concessio, in hoc genere facta, continetur decreto Urbani VIII et Innoc. XII. Statuunt § 22: »permittendum non esse, ut ecclesiae ac loca pia, seu illorum administratores ex eleemosynis missarum celebrandarum ullam, utcumque minimam, portionem retineant ratione expensarum, quas subeunt in missarum celebratione, nisi cum ecclesiae et loca pia alios non habent redditus, quos in usum earumdem expensarum erogare licite possint et tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum, quae pro ipsomet tantum missae sacrificio necessario sunt subeundae et nihilominus eo etiam casu, curandum esse, ut ex pecuniis, quae supersunt, expensis ut supra deductis, absolute tot missae celebrentur, quot praescriptae fuerint ab offerentibus eleemosynas." Cum itaque desunt ecclesiis reditus, quos in usum vini, luminum, caeterorum, impendant, ex eleemosynis detrahere possunt necessarias pro sacrificio expensas, ea tamen lege, ut ex superstite pecunia tot missae celebrentur, quot praescriptae fuerint ab elargientibus eleemosynas.

Usus ejus concessionis, quae missas complectitur tum perpetuas tum adventitias, est nobis duce Benedicto XIV breviter explicandus.

Cogita primo missas *perpetuas* celebrari in ecclesiis,

quae, indicatae ab Urbano VIII inopiae causa, impares sunt sufficiendo requisita ad missarum oblationem. Debent sane »testatores missas perpetuas instituentes integro sacerdotis stipendio, omnibusque expensis pro Sacrificio peragendo necessariis consulere." B. XIV *Inst.* 56. *n.* 13. Idque praestant aut designatis bonorum reditibus, aut imposito haeredibus praecepto, expensas necessarias subministrandi. Quamobrem in proposito casu, servata norma Urbani VIII, peti expensae debent aut ex missarum redditibus, aut ex implenda ab haeredibus obligatione. Quod si contingat, ut nulla ex parte subsidium desumi possit, quoniam nemini haeredi testator dedit hujusmodi praeceptum, nec fundationis proventus diminutionem ferunt, aditus patet ad petendum a Sede Apostolica, ut missae ad minorem numerum redigantur. V. B. XIV. *Inst.* 56. *n.* 13.

Pone secundo missas *adventitias.* Si sacerdos celebrare in templo omnino postulet, de cujus supra descripta paupertate constat, tunc aliquid pro expensis deposcere licet, vel a presbytero vel ab eo qui collato stipendio missam indixit, si forte sacerdoti aliquid superaddere velit pro consuetae eleemosynae detrimento; vel tandem, si aditus hujusmodi praecludatur, ex ipso consueto stipendio aliquid expetere conceditur. B. XIV. *l. c.*

110. Haec de inopis ecclesiae jure, detrahendi quandoque partem eleemosynis missarum, deque ejusdem juris exercitio. Huic affinis est altera quaestio; possintne administratores ecclesiarum postulare et exigere a sacerdotibus, ut missarum expensas reficiant.

Ad missas *perpetuas* quod attinet, cum taxa et reditus missae fundatae, ipsarum expensarum causa, majores esse soleant, nihil obstare videtur, etiamsi ecclesia bonorum copia abundet, ut, qui fruuntur iis redditibus, sumptus pro sacrificio necessarios reficere compellantur; id enim

majoris taxae fini consentaneum est. Cum autem ecclesia, ut modo docuimus, inopia premitur, ipsis administratoribus fas est, quamdam portionem ex redditibus detrahere; neque tenentur ministrare utensilia sacerdotibus, ex beneficio vel capellania obligatis in ea ecclesia offerre sacrificium, nisi solutis utensilium expensis. Quod deducimus ex sequenti S. C. C. declaratione data in causa inopis ecclesiae: »An Archipresbyter Ecclesiae Collegiatae Oppidi Montis Curoni fuerit et sit obligatus subministrare vinum, ceram et hostias capellanis aliisque Presbyteris de clero celebrare volentibus, vel obligatis celebrare Missas in eadem Ecclesia." Rescriptum fuit: »Archipresbyterum non teneri ad ministranda utensilia, de quibus agitur, iis, qui celebrant in sua Ecclesia ex obligatione beneficii, sive capellaniae; quoad missas adventitias teneri ad dictam subministrationem, quatenus permittat, eas in sua Ecclesia celebrari; nec teneri ad has Missas adventitias admittendas, nisi solutis utensilibus per celebrantes." B. XIV *l. c.*

Ad missas *adventitias* quod spectat, cum ob inopiam facultas ecclesiae non suppetit ferendi expensas, possunt administratores, ut tradit praemissa declaratio, exigere a sacerdotibus, qui volunt ibi celebrare, ut utensilia, quibus utentur, solvant.

111. Satis jam explicatum sit de proposita regula ejusque limitationibus. Haud opus est distincte sciscitari et ostendere quanta pars in singulis exceptionibus retineri queat, id etenim quum suis locis definire non omiserimus, res ita est in promptu, ut peculiari expositione non egeat. Quare ad alia veniamus, quae tamen ad hunc locum pertinent.

Quaerunt Doctores, sitne obligatus restituere, qui inique partem stipendii retinet, et, cui is restituere teneatur.

Ad primum respondet S. Lig. *l. c. n.* 322. *Dub. I*: »Prima sententia negat, et hanc tenent Suarez *d.* 88. *s.* 3. Ratio, quia accipiens stipendium jam acquirit illius dominium et licet acquirat cum onere dicendi missam, huic tamen bene per alium jam satisfacit. Secunda sententia vero tenenda... [affirmat]... quia, tametsi sacerdos eleemosynam accipiens acquirat ejus dominium, illud tamen non aliter acquirat, nisi juxta voluntatem dantis; voluntas autem dantis est, non solum ut missa celebretur, sed ut celebretur tali stipendio; ergo, qui tradito minori stipendio, per alium celebrare facit, peccat contra justitiam, »qui non exequitur dantis intentionem, qua vult ut illa missa, unde percipit fructum, tali stipendio celebretur, et quia hujusmodi intentio intrat in substantiam contractus, ideo, si sacerdos partem stipendii retinet, injuste contra dantis voluntatem retinet."

Ad secundum idem S. Doctor *l. c.* sic ait: »Croix cum Pasqual. dicit posse fieri vel danti eleemosynam, vel sacerdoti celebranti; sed communius, et probabilius censent Cont. Tourn. Holsm. et Sporer *l. c.* restitutionem faciendam esse celebranti, quia translato in eum onere, etiam jus ad integrum stipendium juxta voluntatem domini transfertur."

112. Inquirunt etiam Auctores: An procurator vel executor testamenti, faciens celebrare alibi missas sibi commissas, ubi minor est taxa, possit excessum sibi retinere.

S. Lig. *l. c. Dub.* 2. scribit: »Affirmat Tamb.., quia excessus ille erit fructus suae industriae. Sed merito hoc communiter reprobant Conc.. Viva.. Ratio, tum quia talis procurator turpem faceret quaestum ex eleemosynis; tum quia nullum is titulum habet, quo lucrum illud sibi retineat, cum numquam dominium illarum eleemosynarum acquisierit."

Tamen quaedam facienda videtur parva distinctio. Supponat S. Lig. eum procuratorem seu executorem, qui testatoris haeres non est; is utique facit injuste. Sed pone, ut, qui executor est, idem ille sit haeres. Haud scio an recte injustitiae is accusetur, si testator neque certum assignaverit stipendium, neque dici possit elegisse locum celebrationis.

113. Tandem sciscitantur: Fasne sit permutare missas non permutato stipendio inaequali.

Cui hunc in modum respondendum esse puto. Cum mens attenditur largientium eleemosynas, petitae missae stipendium ejus est, qui missam illam celebrat. Quapropter permutata missa permutari etiam stipendium inaequale debet. Cum autem consideratur facultas celebrantis, qua nimirum cedere valet suum stipendium, consensus satis voluntarius in permutationem stipendiorum efficere potest, ut quisque, quam accepit, teneat eleemosynam. Sed cum insuper lex ecclesiastica aspicitur, rogaturque, an dicta permutatio, utpote turpis quaestus speciem involvens, lege prohibita sit, S. Lig. *l. c. Dub.* 5 et in *Hom. Ap. De Euch. n.* 71 ait, eam permutationem merito dici prohibitam, quin tamen transgressorem condemnet gravis peccati, praesertim quem paupertas ad id impulerit. In hujus sententiae confirmationem afferri posse videtur exposita ante disciplina ecclesiastica, quae jubet tribuere sacerdoti celebranti integram missae eleemosynam. Huc itidem spectat forte S. C. C. recens declaratio diei 6 Maii 1865, in quadam causa conventionis, per centum et amplius annos inter canonicos et cujusdam capituli capellanos servatae, de permutanda sacrificii applicatione non permutata insimul eleemosyna, Quae conventio licet ab Episcopo esset approbata, licetque canonici singulis annis, ob eleemosynarum inaequalitatem,

solverent capellanis quamdam pecuniae summam, nihilominus S. C. C. eam non sustineri declaravit. V. Acta S. Sedis *vol.* 2. *p.* 194. *sqq.*

114. Superest quaestio, quam Doctores scriptis suis non complectuntur, nos autem praeterire non possumus. Morem spectat retinendi quamdam eleemosynae missarum portionem, qui in patria vigens, decreto apostolico firmatus est.

Ut primum septentrionalibus Europae tractibus innotuit Benedicti XIV Constitutio *Quanta cura*, pastores missionarii Batavi, Angli, Hiberni usum quem sectabantur, in comminuendis missarum stipendiis, S. Apostolicae Sedis judicio submiserunt. Accepti responsi, »*Ad mentem Sanctissimi*", cum sensum non perciperent satis, denuo per S. Poenitentiariae Congregationem supplices Pontifici obtulerunt litteras, et ex sententia copiosius rescriptum impetrarunt.

115. Supplices litterae, ex authentico apographo transumptae, hae sunt: »Beatissime Pater! Missionarii Pastores Catholici in Hollandia, aliisque regionibus haereticorum et infidelium, cum osculo pedum Sanctitati Vestrae humiliter exponunt, ad eorum notitiam devenisse, Breve Epistolare Sanctitatis Vestrae apud S. Mariam Majorem editum die 30 Mensis Junii 1741, incipiens: *quanta cura adhibenda est*, in quo Clericis et Sacerdotibus quibuscumque recipientibus eleemosynas seu stipendia pro Missis celebrandis, districte prohibeter ne, retenta sibi parte earumdem eleemosynarum seu stipendiorum, aliis Sacerdotibus committere possint celebrationem earumdem Missarum cum minori eleemosyna seu stipendio, adjuncta poena suspensionis reservatae Sedi Apostolicae, ipso facto incurrendae, prout latius in eodem Brevi Epistolari continetur; quoniam vero, Pater Sancte, in illis regionibus

sub haereticorum vel infidelium jugo, nulla adsunt beneficia ecclesiastica vel certi reditus ad vitae sustentationem Pastoribus et Missionariis Catholicis, a piis fidelibus dari solent pinguia Missarum stipendia et eleemosynae pro earumdem Missarum celebratione, ut ex ipsis stipendiis et eleemosynis sustentationem recipiant in defectum, ut supra, beneficiorum sive certorum redituum Ecclesiasticorum; quandoque vero eadem stipendia et eleemosynae dantur ratione quidem particularis affectionis vel gratitudinis erga illos Missionarios et Pastores, sed non sine respectu ad supradictam sustentationem; multoties etiam, praecipue in Exequiis, anniversariis et majoribus festis, supradicta stipendia et eleemosynae Missarum dantur per modum unius honorarii, quod occasione Sacramentorum Poenitentiae et S. Communionis ex pia devotione fideles conferre solent. Quae cum ita sint, Pastores et Missionarii nullum habuerunt scrupulum retinendi sibi ipsis partem stipendiorum et eleemosynarum, et Missarum celebrationem committere et demandare aliis sacerdotibus indigentibus cum minore stipendio sive eleemosyna, praesertim illis sacerdotibus, qui sub nomine Sacellani sive Coadjutoris assistunt et vicem eorumdem Missionariorum et Pastorum gerunt, quando sunt absentes vel morbo impediti aliisque in similibus necessitatibus; quod si Missionarii et Pastores tenerentur totam deinceps reddere eleemosynam receptam pro celebratione Missarum Sacerdoti substituto, qui sacrificium offert, vel ipsi Missionarii et Pastores congrua sustentatione privarentur, vel si partem et portionem dicti stipendii sive eleemosynae dare nequirent Sacerdoti celebranti, praecipue pro Sacellanis et Coadjutoribus ut supra, necessariis, hujusmodi subsidium deficeret in illis regionibus, in quibus redditus certi et beneficia pro Ministrorum Ecclesiae sustentatione deficiunt.

His igitur aliisque particularibus circumstantiis sedulo perpensis, licet devotissimi Sanctitatis Vestrae oratores pro certo habeant, quod in Brevi Epistolari supra memorato pro celebratione Missarum nullatenus comprehendantur, quominus tuto servare possint morem et praxim usque adhuc observatam, nempe in dictis casibus retinendi sibi partem sive portionem stipendii accepti pro celebratione Missarum, et cum minori eleemosyna aliis Sacerdotibus Missas celebrandas committere, nihilominus veluti obedientissimi Ecclesiae Catholicae filii, et metu suspensionis ipso facto incurrendae perculsi, demisissime supplicant Sanctitati Vestrae pro opportuna declaratione. Quam Deus etc."

Pontifex Benedictus sequentem declarationem ad missionarios mitti jussit:

»Decretum Sacrae Poenitentiariae Apostolicae ex audientia Sanctissimi die 29 Martii 1742.

Sanctissimus Dominus Noster Benedictus Divina Providentia Papa XIV, cui nos supplicem hunc libellum retulimus, vivae vocis oraculo benigne declaravit, in prohibitione contenta in superius enuntiato Brevi, non comprehendi praedictos casus, et insuper mandavit, hanc suae mentis declarationem praefatis Oratoribus, aliisque quibus opus fuerit, per officium Sacrae Poenitentiariae esse significandam. Nos igitur, qui Poenitentiariae Ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Papae, et Sedis Apostolicae curam gerimus in executionem hujusmodi mandati Sanctitatis Suae, vigore praesentium supradictam ipsius Sanctissimi Domini Nostri declarationem, tam pro memoratis Oratoribus, quam omnibus ad quos spectat, seu spectare potest, notam facimus et publicamus et de ea testamur. In quorum fidem praesentes manu nostra subscripsimus; sigilloque Sacrae Poenitentiariae munivimus.

Romae ex aedibus nostris hoc die 6 Mensis Aprilis 1742. (L. S.) Vincentius Card. Petra Maj. Poenitentiarius, Franc Petruciolus Sac Poen. Secret."

116. Ut ejus decreti rectam intelligentiam assequi valeamus, erit nobis accurate considerandum primo quod exposuerunt et petiverunt missionarii, deinde quod rescribi jussit Pontifex. Erit insuper inquirendum diligenter, fueritne pastoribus illis peculiaris quaedam attributa gratia; et, si inficiandum id est, qua tandem ratione congruere juri communi dicatur tum usus missionariorum, tum rescriptum apostolicum.

I. Quid igitur de causa sua exponunt, quid declarari supplicant oratores?

Exponunt dari a fidelibus in peculiare missionariorum commodum pinguia missarum stipendia, quoniam beneficia et stati reditus absunt regionibus illis; dari quandoque majores eleemosynas propensi etiam erga missionarios gratique animi causa; multoties insuper augeri ea stipendia, quae erogantur occasione exequiarum, anniversariorum et majorum festorum, quoniam superaddunt fideles honorarium, quod ministrantibus sacramenta Poenitentiae et Eucharistae conferre solent.

Declarari supplicant, possintne »dictis in casibus" retinere partem stipendii, et cum minori eleemosyna sacellanis, aliisque sacerdotibus, missas celebrandas committere.

II. Quid responderi ad petita Pontifex jubet?

»In prohibitione contenta in... enuntiato Brevi, non comprehendi praedictos casus."

III. Nonne quidpiam Juris hoc responso vindicari pastoribus missionariis potest prae reliquis aliarum regionum parochis?

Haud quidquam juris illis concessum prae reliquis

parochis esse addubitari nequit, etenim propositos casus non contineri in prohibitione, Pontifex rescribi jubet. Quamobrem idem istud agere dictis in casibus non solum Oratoribus licet, sed quibuscumque etiam aliarum regionum ministris sacris. Quod perspicuum praeterea sit ex postremis decreti verbis: »insuper mandavit, hanc suae mentis declarationem praefatis oratoribus, aliisque quibus opus fuerit, per officium S. Poenitentiariae significandam." Idcirco juri communi congruebant usus missionariorum et rescriptum apostolicum.

IV. Qua tandem ratione id explicatur, congruere videlicet tum usum missionariorum, tum rescriptum apostolicum, juri communi Ecclesiae?

Hac quidem ratione, quod partem, quae consuetum stipendium superat, fideles dicuntur tradere suis pastoribus in peculiare subsidium deficientibus certis reditibus, in grati animi pignus, in praemium exantlati laboris. Atqui nulla umquam lege vel a longe Ecclesia turbari voluit neque fidelium facultatem, qua possint in sacrorum ministrorum gratiam missarum stipendiis superaddere speciale aut subsidium aut praemium, neque jus ministrorum assumendi partem eo modo sibi addictam, etiamsi personaliter missam non celebrent.

Exstat in quodam Archidioecesis tractu alius usus, auctoritate Apostolica et recentis Concilii Provincialis Ultrajectensis decreto ad revocationem toleratus et munitus, ut parochi totum retineant stipendium missarum, quas eorum sacellani celebrant. Dum itaque quod in ea regione fit, ibidem vitio verti nullatenus possit, ad alios tractus, quos data licentia non spectat, mea quidem opinione, legitime non traducitur absque Sedis Apostolicae venia.

Art. III.

Applicatio Sacrificii.

117. Applicare sacrificium atque referre fructum medium sacrificii ad certam personam, ad certum finem, unum idemque audit. Est quippe unus in numero fructuum sacrificii, qui medius et ministerialis appellatur. Hic divina ordinatione ad distribuendum seu applicandum commissus est sacerdoti offerenti ceu publico sacrorum ministro, donorum coelestium distributori.

118. Cui applicaverit sacerdos sacrificium, is fructu medio fruitur, dummodo capax sit. Nulli prorsus si applicaverit missam, aut incapaci, sacrificium caret fructu medio, in thesauro Ecclesiae manet. Quapropter, ne, ex incapaci, subjecto, fructus ejus pretiosissimi distributio impediatur, expediens est, ut applicationi, ad quam sacerdos ex justitia, ex promissione, ex obedientia tenetur, aliam vel alias sub hac limitatione superaddat, quantum justitiae, fidelitatis, obedientiae officio non prohibetur. Sic efficitur etiam, ut, quam latissime fieri potest, fructus medius distribuatur.

119. Effectum medium sacerdos suspendere et reservare nequit; est enim sacrificium sub potestate et intentione ministri interea dum offertur, non postea. Quamobrem non potest celebrare intentione applicandi deinceps sacrificium cum quis eleemosynam oblaturus est. Prohibuerunt insuper PP. Clemens VIII et Paulus V applicare pro primo stipendium daturo. Fas tamen hoc in genere esse dicit S. Lig. *l. c. n.* 337, ut sacerdos, qui praevidet missas a se postulatum iri pro defuncto, non rogatus defuncto illi sacrificia applicet, et postea stipendium oblatum accipiat.

120. Mutuatur minister potestatem applicandi ex ipso sacerdotali ordine. Ejus vero potestatis, divinitus collatae, frustrari validum exercitium, nemini datum est. Propterea ministro sacro propria est et personalis, nec quisquam applicationi sacerdotis offerentis suam valet applicationem substituere efficaciter, nec quaecumque sacerdoti incumbens applicandi obligatio distrahere sacrificium ad alium finem, ac ipse intendit sacerdos offerens. Quamquam itaque sacerdos, applicando missam, contra officium obedientiae, fidelitatis, justitiae, religionis facere possit, erit tamen applicatum sacrificium atque suffragabitur illi, pro quo voluerit offerre, modo quis obex non impediat. V. Suarez *De Sacr. M. d.* 79. *s.* 9.

121. His positis explicandum est primum, quae celebranti debeat intentio esse; deinde propria vis expromi debet quorumdam verborum, quibus missarum fundatores utuntur nonnumquam.

Ut efficax ex parte sacerdotis applicatio esse possit, duae conditiones necessariae sunt. Quas ut recte intelligamus, haec quae sequuntur prius animadvertisse, quam conditiones proponantur, expediet.

Unum est, fructum medium distributioni commissum esse sacerdotis. Non est igitur per se determinatus ad certam personam. Determinatio haec seu applicatio facienda a ministro est. Ergo, ut cui prosit, determinari sacrificium ad ipsum debet per offerentis intentionem. Cumque peractum sacrificium applicari non possit, dicta determinatio ante consecrationem secundae saltem speciei fieri debet; imo conveniens est fiat ante missam, ut omnes orationes et preces proficiant fini speciali, qui intenditur. Ex quibus concludimus, postulari primo, ut sacerdos missam applicet determinatae personae. Fieri haec applicatio potest nominando personam aut explicite,

e. g. offeram pro patre meo, pro Petro N; aut implicite et generali termino, e. g. applico sacrificium defuncto, pro quo postulata est missa; et: personae pro qua hodie offerre teneor; et: animae in purgatorio diutissime cruciandae; et: ad mentem dantis.

Alterum est, distributionem fructus medii, seu applicationem ejus, veram donationem esse. Quamobrem ut fructus, cum ex sacrificio nascitur, ei obtingat, cui a sacerdote semel assignatus est, haud requiritur ut momento consecrationis sacerdos activa ratione velit eidem fructum conferre; id est, non exigitur intentio actualis aut virtualis. Quoniam vero collatio fructus penes sacerdotem manet donec sacrificium non est confectum, ea propter necesse est, sacerdos captam intentionem ante non revocet; aliis verbis, sufficit intentio habitualis, id est, semel capta et ante consecrationem non revocata. Differunt itaque in his intentio conficiendi sacramenta et intentio applicandi fructum missae. In conficiendis enim sacramentis intentio ministri efficit sacramentum; active propterea habere se debet, id est, oportet actualis aut virtualis sit. Verum intentio dandi fructum alicui, non efficit fructum, sed assignat, cedit, distribuit, donat tantum. Ideoque cum applicatio fructus donatio sit, propterea statim atque sacrificium perficitur, fructum impetrat illa persona, cui aliquando sacerdos assignavit, nisi revocaverit applicationem. Quamobrem pone decem erogari pro defuncta missarum eleemosynas, sibique proponere sacerdotem, crastino et sequentibus diebus haec explere onera; vel, diebus decem ab ipso elargiente stipendia designatis; immemorem vero ejus intentionis celebrare deinceps eas missas. Sufficit, ut oneribus satisfecerit, proposita intentio, quae habitualis est, et non revocata supponitur.

Sed quaedam qualitas in habituali intentione desideratur, illinc potissimum orta, quoniam suspendi fructus sacrificii non potest. Oportet enim, ut aiunt Auctores, intentio habitualis absoluta sit vel absolutae aequivalens, id est, conditionata sub impleta conditione aut de praesenti, e. g. offero pro tali si capax est, aut de praeterito, e. g. pro tali si mortuus est. His in casibus non suspenditur fructus. Verum intentio conditionata implenda adhuc, reprobatur sententia satis unanimi Doctorum, quia suspendi non potest effectus, seu, quia sic a Deo ordinata creditur vis sacrificii atque sacramentorum, ut ejus applicatio non fiat cum respectu et dependentia ad futurum eventum. V. Suarez *l. c. d.* 79. *s.* 9.

122. Quapropter ut efficax applicatio sit ex parte sacerdotis, requiritur, ut celebrans applicaverit sacrificium personae determinatae per intentionem saltem habitualem absolutam vel absolutae parem.

Ex quibus habemus, obligari sacerdotem, qui ex stipendio celebrat, ut per dictam intentionem saltem habitualem missam applicet juxta voluntatem erogantis eleemosynam; idcirco pro defuncta, pro defuncto, pro defunctis, ad mentem dantis, in gratiarum actionem, in alios fines, prout petivit, qui dedit honorarium; si aliter facit, licet errans, non satisfacit et denuo celebrare tenetur. Exemplum est: ex stipendio quis assumsit celebrare pro donante cum hic mortuus fuerit; mortuum credit deinceps, sed fallitur; pro mortuo celebrat, sed non satisfacit.

123. Sunt de applicationis intentione plures quaestiones.

Prima. Si sacerdos, qui ad determinatum finem certo die celebrare sibi proponit, adveniente eo die in alium finem sacrificium offert, num prior intentio in eo perseveravit?

R. 1. Si memor prioris intentionis applicationem ad alium finem direxit, prior intentio non perseveravit.

R. 2. Si vero ejus immemor, sed commotus ad aliam applicationem causa aliqua praeponderante, v. g. repentina necessitate, prior intentio non perseverasse videtur, praevaluisse igitur altera. Sin autem causa mutandi applicationem non fuerit hujusmodi, prior intentio videtur permansisse. Consultum tamen sit, quoniam pro alterutro certe fine sacrificium oblatum est, sequentem missam in illud debitum applicare, cui satisfieri adhuc debet.

Secunda. Quid intendere debet sacerdos, qui nescit vel oblitus est, ad quid referri debeat missae applicatio?

R. Intendet ille sacerdos celebrare ad mentem petentis sacrificium; aut, in finem ad quem Deus scit postulatum sacrificium esse. Sed ut caveantur hujusmodi dubitationes, consueverunt sacerdotes accurate et quam primum chartae inscribere petita sacrificia, priore quidem ordine quae prima postulata sunt; nam »qui prior est tempore, potior est jure." *Reg.* 54. *in* 6.

Tertia. Qui stipendia pro decem missis a decem personis accepit, an is suscepto oneri satisfacit applicando decem missas pro illis personis in confuso?

Respondet S. Lig. *l. c. n.* 335 *Quaer* II: »Si singula sacrificia applicantur pro singulis indeterminate [pro una indeterminata ex decem] non videtur satisfieri. Ratio, quod ad satisfactionem requiritur intentio applicandi fructum determinatae personae, ut illi prosit.. Si vero sacerdos unamquamque missam intenderet applicare omnibus illis decem personis, singulis applicando decimam partem uniuscujusque missae, non videtur ratio cur non satisfaciat, cum nemo dubitet, quin fructus sacrificii sit divisibilis, et ideo tribuitur unicuique quod debetur; unusquisque enim in singulis missis, decimam partem accipiendo, in celebratione decimae missae jam totum suum fructum percipit."

Quarta. Potestne superior revocare efficaciter intentionem inferioris?

Responsio negans ostenditur ex ante dictis sub *n.* 120.

Quinta. Fasne est, die animarum celebrare pro determinata persona?

Respondet S. Lig. *l. c. n.* 338 ex decreto S. C. R. diei 4 Aug. 1663, »in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum sacrificia possunt a sacerdotibus celebrantibus applicari ad libitum, scilicet vel pro omnibus fidelibus defunctis, vel pro aliquibus tantum. Hoc decreto posito bene ait Cont. Tourn... nihil obesse, quin pro talibus missis accipi possit stipendium."

Sexta. An Neomista tenetur tres sibi impositas missas ad intentionem Episcopi applicare; an vero potest ad finem sibi bene visum, atque propterea accepto stipendio?

Respondet S. Lig. *De Sacram. Ord. n.* 829 recte inferri ex verbis: »Post primam vestram missam, tres alias missas, videlicet, unam de Spiritu Sancto, aliam de beata Maria semper virgine, tertiam pro fidelibus defunctis dicite, et omnipotentem Deum etiam pro me orate", quibus Episcopus jubente Pontificali Romano ordinatos alloquitur, »non esse obligationem applicandi praedictas missas juxta intentionem Episcopi, dum ibi praescribitur tantum, ut initiati pro eo orent; ideoque ipsi possunt missas pro aliis applicare etiam cum stipendio. Patet autem quod hujusmodi missae non prius dicendae sunt, quam adveniant dies non impediti."

Estne autem Neosacerdos obligatus tres ab Episcopo indictas missas *celebrare?*

R. Res controversa est inter Auctores; quippe cum alii in verbis Pontificalis verum praeceptum grave aut leve inveniant; alii haud quidquam, nisi quod decens est, iis contineri arbitrentur.

Ego, in utraque proposita disputatione, considerata formula Pontificalis, eorum sententiae potius me adscriberem, qui neosacerdotibus vere praecipi autumant *celebrare*, minime vero *applicare* missas ad mentem Episcopi. Mandari sic posse, docet lex de missa votiva tempore Concilii Vaticani litanda. Mandatum sic esse, appareat ex formula Pontificalis. Sed utut sit, usus patriae morem gerendi Episcopo, sive praecipienti sive consilium danti, a nostratibus haud negligetur.

124. Hactenus de celebrantis intentione. Nunc de vi quorumdam verborum, quae in fundationibus sunt, agere restat.

Si fundator praescripserit *celebrari* missas, *applicari* non praescripserit, debentne missae pro eo applicari?

S. Congregationis Concilii perpetua lex ejusmodi in casibus est, applicari pro fundatore eas missas debere. Cujus legis fundamentum, ait B. XIV. *De Sacr. Missae l. 3. c. 11. n. 2.* habetur in *regula 45 in 6*: »inspicimus in obscuris quod est verisimilius vel plerumque fieri consuevit." Verisimilius hic est, ut fundator, qui propositis reditibus jussit missas celebrari, easdem et sibi applicari voluerit. Exemplo sit S. C. C. resolutio in *causa Tinen. Applicationis Sacrificii:* »Ex dispositione testamentaria antiquitus facta a pio testatore reperitur fundata quaedam capellania cum onere capellano pro tempore sacrum faciendi singulis Dominicis aliisque festivis diebus, nulla adjecta declaratione ad cujus suffragium applicandum esset sacrificium. Ideo Episcopus Tinensis supplicat, per Sacram Congregationem declarari, an ejusmodi sacrificium applicandum sit pro anima ipsius testatoris, an vero ad libitum capellani, uti hactenus factum esse comperiit. Die 18 Aug. 1668. S. C. C. respondit, applicandum esse sacrificium pro anima testatoris." B. XIV *l. c.*

In privata quidem causa sic S. C. respondit, sed regula generalis atque certa est, praesumi eum, qui missas celebrari jussit, nulla facta mentione applicationis, voluisse missam applicari animae suae. Quod si fundator aperte scripserit, intendere se non applicationem sed celebrationem dumtaxat, sacerdos aliis tribuere fructum medium, accepto etiam stipendio, potest. V. S. Lig. *l. c. n.* 324. *Q.* 1.

Cum fundator ex indictis sacrificiis certum numerum sibi applicari praescripserit, tacuerit vero de applicatione reliquarum, suntne omnes pro eo applicandae?

Sunt omnes celebrandae sane, sed verisimilius ex hac jussionis formula est, voluisse fundatorem liberam relinquere applicationem ejus numeri, de quo tacuit. B. XIV. *l. c. n.* 3. Quapropter ex indicata *regula* 45 *in* 6 reliquae istae offerri ad alium finem possunt.

Si fundator, in missis celebrandis pro se *orare* capellano seu sacerdoti praeceperit, debetne hic applicare pro fundatore missas?

S. C. C. interrogata respondit, sacerdotem teneri ad applicationem missae. B. XIV. *l. c. n.* 3. Si vero fundator alias missas pro se *applicari*, in aliis pro se *orari* voluerit; vel, si unus idemque fundator in alia fundatione praescripserit applicationem, in alia orationem, »tum locus fit argumento desumpto e diverso modo loquendi, ac dicendum, fundatorem, ubi jusserit pro se orari, non imposuisse onus applicandi, sed voluisse dumtaxat, sacerdotem ad *Memento* commemorationem facere sui; quemadmodum respondit S. C. C. in causa Ferrariensi die 11 Junii 1700." B. XIV. *l. c.*

Ex his deduci posse videtur, S. C. C. judicare, in onere celebrandi et orandi infra missae sacrificium comprehendi, ex fundatoris mente, onus applicandi pro eo missam,

nisi in promptu indicia sint, quibus verisimilius esse apparet, eum non spectasse ipsam pro se applicationem. Indicium hujusmodi est varius diversusque ab eodem fundatore adhibitus modus loquendi, de quo paullo ante; indicium esse potest stipendii exiguitas; item certa definita sacrificii hora, ut e. g. scholarum discipuli, moniales, operarii, alii, sacrificio interesse valeant. cfr. B. XIV *Q. C.* 7 *et* 68. Luc. Ferr. *Missa prout est sacrificium. n.* 15.

Art. IV.

Missae Species, Locus, Tempus, ab erogante eleemosynam designata.

125. Quoniam totum integrumque onus, quod suscepit sacerdos, adimplere fideliter cogitur, consequens est, ut quantum sacrae Rubricae sinunt designatam missae speciem, locum, tempus solerter eligat. Nec praetermisit sane Apostolica Sedes constantem diligentiam conferre, ut hujusmodi fidelium ordinationes ad apicem expleantur.

126. *Missae species.* Cum sacerdos celebrare annuit missam cantatam aut solemnem, cum votivam aut de requie, hujusmodi sacrificium offerat necesse est; ni faciat, obligatus restituere, pro mente petentis, vel totum stipendium, vel eam partem, quae ratione determinatae speciei consueto stipendio superaddita fuit, vel liber a restituendi onere.

Quod si assumpsit missas pro *defunctis* celebrare, quin expresse determinata sit aut missa de requie, aut missa ad altare privilegiatum, accommodare sacrificium potest ad decreta S. Rituum Congregationis, a S. Sede approbata, quibus definitum saepius fuit, haud opus esse, ut

vel diebus sacro de requiem vacantibus, missa hujusmodi dicatur, nisi aut talis diserte postulata est, aut, ut missa dicatur in altari privilegiato, aperte ordinatum.

De sacrificiis, *in honorem alicujus mysterii aut sancti* litandis, ejusdem S. Congregationis decreta jubent, ut diebus missae votivae patentibus, missa votiva dicatur, etiamsi non fuerit nominatim votiva rogata; quin imo si missae in honorem mysterii aut sancti non sunt certo diei affixae, differri easdem debere ad dies, quibus votivae permittuntur. V. *S. R. C. Decreta auth.* Leodii 1850. V° *Missa votiva.* De Herdt *S. Liturgiae Praxis vol.* 1. *p. I. n.* 21. Quae si recte proposui, paullulum aberrasse videtur S. Lig. in iis, quae habet *l. c. n.* 422.

Expositis addamus, ex sententia nimirum Busembaum, Voit, Quarti, De Herdt, satisfacere obligationi essentiali, non vero accidentali, atque peccare venialiter sacerdotem, qui constrictus dicere missam de requie aut votivam, non eam sed aliam de die celebrat.

127. Tempus atque locum a donantibus eleemosynam aut a fundatoribus praefixum, eadem ratione sacerdos servare cogitur atque caetera jussa. Quod si onus deinceps ad alium locum vel tempus fuerit legitimo decreto translatum, nova ista lex fidelitate eadem servari debet, qua debebat antiqua. V. Luc. Ferr. *l. c. n.* 14. Debet igitur sacerdos eo die, ea hora, eo loco seu in ea ecclesia et altari celebrare, quibus sacrificium offerre jussus est. Haec generalis est norma, quae tamen et suas exceptiones habet; siquidem in ejus regulae expositione, ad obligationem celebrantis nitide determinandam, animadvertere solent Auctores, quid jure bono dici possit spectasse fundatorem in ipsius fundationis utilitatem, quidque cum causa inciderit, suo permississe presbytero.

128. *Locus.* De loco quaerenda duo sunt; quantum

scilicet loci designati observantia sacerdotem obliget, et quae sint de electo altari privilegiato peculiariter animadvertenda.

An peccat sacerdos omittens celebrare in loco ad sacrificandum designato?

Respondet S. Lig. *l. c. n.* 329: »Notandum circa locum celebrandi quod si capellanus celebret in alia ecclesia vel altari, vel hora, quam a fundatore est constitutum, peccet mortaliter. Ita communiter Lugo.., modo id faciat saepius, aut sine causa, aut sine dispensatione et modo fundator altare illud destinaverit ob gravem causam. Dixi *saepius*, nam peccabit tantum venialiter, si faciat raro, puta si semel vel bis in mense; et facilius, si mutabit tantum altare et non ecclesiam. Item dixi *sine causa;* nam minime peccabit, si celebrabit alibi ex justa causa, puta si altare sit execratum, vel quia egressus a sacristia viderit illud ab alio occupatum. Lugo.. Item dixi *sine dispensatione;* nam bene potest Episcopus dispensare, ut celebretur in alio loco, ex rationabili causa, puta ob utilitatem propriae ecclesiae, applicationem studii, infirmitatem, aut negotium, aut nimiam molestiam adeundi ecclesiam, et similia; ut dicunt Bus.. Pal.. Recte tamen Croix, et Pasq. dicunt in nostro casu non posse dispensare Episcopos, si testator designando ecclesiam vel horam in fundatione, specialiter respexerit commoditatem populi audituri Missam. Praeterea dixi, *modo fundator altare illud destinaverit ob gravem causam*, puta ob memoriam vel commodum familiae, aut populi, vel ob specialem cultum sancti, et similia. Nam si nullum habuerit specialem finem, vel si causa cessaverit, nempe si familia sit extincta, vel alibi moretur, tunc sacerdos mutando altare, tantum venialiter peccabit; et ne venialiter quidem, si celebrabit in altari privilegiato, quia ibi

melius consulet fundatori; ita Lugo.. Caeterum animadvertendum apud L. Ferr. *Bibl. verb. Capellania, n.* 14. referri plura decreta a S. C. Concilii, quibus dicitur pro hujusmodi dispensatione semper adeundam esse Sedem Apostolicam." Postrema haec verba paululum infirmant quod ante S. Doctor scripsit de dispensatione ab Episcopo impertienda, atque opponunt attributae Episcopis potestati perspicuum summae auctoritatis judicium. Referre hanc disputationem placet ad ea, quae mox proponemus fundamenta juris, uni Sedi Apostolicae reservantis facultatem derogandi fundationum legibus.

De sacerdote, qui designatum locum non servavit, Luc. Ferr. V° *Missa, prout est Sacrificium art. 4. n.* 16. animadvertit: »Sive tamen non celebret in loco convento et designato cum justa, sive absque justa et rationabili causa, non tenetur iterum in eodem altari vel ecclesia celebrare, aut ad aliquam restitutionem, ut compenset sacrificia alibi celebrata, quia non privavit paciscentem seu fundatorem fructu sacrificii, id enim quod paciscens seu fundator intendit principaliter, est fructus sacrificii pro se et suis, et minus principaliter et quodammodo accessorie, cultus Dei vel Sanctorum in tali ecclesia vel altari." Attendatur infra numerus 137.

129. De servando loco assignato satis dictum est. Deinceps, ut erat propositum, de electo altari privilegiato dicatur.

Privilegium hujusmodi altaris situm est in plenaria indulgentia per modum suffragii adnexa sacrificio, quod pro defunctis celebratur ad altare per Sedem Apostolicam ea gratia ditatum. *Indulgentia plenaria per modum suffragii.* Distinguuntur enim in hoc privilegio mens praesertim Pontificis indulgentiam concedentis, atque effectus concessae indulgentiae, seu beneplacitum divinae

misericordiae eam acceptantis. Quo fit, ut cum mens spectatur Sanctae Sedis in hoc usu potestatis clavium, praesens indulgentia dici debeat plenaria, apta igitur ut animam statim eripiat ex omnibus purgatorii poenis; cum vero spectatur applicationis effectus, intelligenda sit indulgentia, cujus mensura divinae misericordiae beneplacito et acceptationi respondet. Dum itaque Romanus Pontifex privilegiatas aras declarat, celebrationi missae, in illis peractae eam per modum suffragii attribuit thesauri ecclesiastici partem, quae satis est, ut anima, si Deo sic placitum fuerit, e purgatorii cruciatibus eripiatur.

130. Insignis gratia est, gratis a sacerdotibus fideli populo communicanda; nam stipem accipere pro ejus applicatione cum simoniacum esset, tum legibus Ecclesiae contrarium, sicuti satis patet ex decreto Urbis et Orbis a S. C. Indulg. publicato die 19 Marii 1761, quodque declarat, »ut non nisi consuetam eleemosynam unusquisque sacerdos pro dicta missa licet privilegiata accipiat, et in ea tantum quantitate, quae a synodalibus constitutionibus, seu a loci consuetudine regulariter praefinita fuerit." V. *Decreta auth. p.* 264.

131. Annectitur istud privilegium non solum altari, *locale* et reale tunc nuncupatum, sed etiam sacerdoti, quo casu *personale* dicitur. Ne putes autem privilegium locale affixum esse lapidi consecrato, exstanti eo momento, quo indulgentia tribuitur; annexum enim est designato alicui altari determinatae ecclesiae, altari scilicet ecclesiae N. dicato in honorem mysterii aut sancti N. Etenim S. C. Ind. quum supplicata esset declarare: »An indulgentia seu privilegium altaris a S. Sede concessum sit lapidi consecrato, plerumque portatili in quacumque ecclesia, et cuicumque altari fixo imposito, — an vero determinato altari fixo, quod proinde alio

consecrato lapide imposito, privilegium minime amitteret"; respondit: »negative quoad primam partem; affirmative quoad secundam; videlicet privilegium de quo supra, datum est altari privilegiato, et in honorem alicujus sancti specialiter dicato, ita ut privilegium ipsum altari fixo exclusive inhaereat, nec ad aliud altare etsi fixum, transferendum" Causa Leodien. 27 *Sept.* 1843. Apud Prinzivalli *S. C. Ind. Resolutiones Auth. n.* 558.

Porro privilegium, de quo dicimus, sic inhaeret determinato altari, *a*) ut non possit ex eo transferri ad aliud, quod luculenter postrema decreti verba significant; *b*) ut amoto primo lapide, novoque imposito, privilegium non perdatur, ceu praecedens etiam declaratio manifeste satis docet, sequens luculentius tradit. In Ruremunden. nempe Card. Praefectus S. C. de P. F. rescripsit: »Privilegium altari conceditur, non lapidi, qui unus alteri, pro necessitate vel opportunitate suffici poterit." *Decreta auth. p.* 265. *c*) Ut cum transfertur altare in alium ejusdem ecclesiae locum, vel, diruto toto altari, novum sub eadem invocatione licet in alia ecclesiae parte erigitur, privilegium conservetur, et, in secunda suppositione, transeat in novam aram. »An privilegium maneat, non obstante quod altare sub eadem invocatione de novo aedificatum fuerit in alio quidem loco, sed in eadem ecclesia." S. C. Ind. respondit: »Affirmative." Murana 27 *Sept.* 1843. *n.* 52. V. alias decl. in *Decr. auth. p.* 265. *d*) Ut, si destruitur deinceps ipsa ecclesia, sed nova aedificatur eodem loco eodemque retento veteris ecclesiae titulo, privilegium reviviscat, modo titulus altaris mutatus non sit. Nam ex S. C. Ind. quum quaereretur: 2°. An privilegium reviviscat, si ecclesia funditus destructa sit, et deinceps, ea in eodem loco reaedificata, Altare olim privilegiatum sub eodem titulo denuo erigatur? Et 4°. Quid si ecclesia

non in eodem loco, sed alibi reaedificetur? respondit die 30 Aug. 1847: ad 2. affirmative; ad 4. negative. *Decr. auth. p.* 266.

132. Solet indulgentia altaris privilegiati pluris, quam aliae indulgentiae pro defunctis, aestimari, quoniam a dispositione celebrantis minus caeteris pendere creditur. V. Card. De Lugo *De Euch. d.* 21. *n.* 39. Salm. *De Sacr. Missae c.* 1. *n.* 22.

Concessit Sedes Apostolica hanc gratiam primum solis missis de requie in dictis aris celebrandis; verum aucto numero missarum ritus duplicis, ad missas de die et de festo currenti quoque extendit. V. Alex. VII Const. *Creditae nobis* diei 22 Jan. 1667 et Clem. IX *Cum felicis* diei 23 Sept. 1669 et Innoc. XI *Alias* diei 4 Maii 1688. Praeterea idem hoc privilegium indulsit missis omnibus die Commemorationis fidelium defunctorum a quocumque sacerdote saeculari vel regulari celebrandis (Decret. S. C. Ind. diei 19 Maii 1761); insuper singula altaria durante oratione 40 horarum declaravit privilegiata esse in ecclesiis ubi supposita fit Sanctissimi expositio (Decr. Pii VII diei 12 Maii 1807); tandemque, cum rogatur, impertiri haud difficulter sacerdotibus solet privilegium personale altaris privilegiati, quo ter vel quater in hebdomade quodcumque ad altare celebrantes fruantur.

Sunt autem duae praesertim conditiones prae oculis habendae ab iis, qui dicto privilegio in defunctorum gratiam, pro quibus solis concessum est, uti velint. Una pertinet ad qualitatem altaris, altera ad missae speciem.

133. *Qualitas altaris.* Altare debet esse fixum, ut in eo lucrari quis possit privilegium *locale*, nisi Sancta Sedes aliter indulget. Non opus est fixum sit, ut privilegii *personalis* indulgentiam quis lucrari valeat. »Quaeritur, si as Sede indultum locale altaris privilegiati

conceditur, neque ulla facta sit mentio nec in supplici libello, nec in rescripto, de qualitate altaris, sitne fixum scilicet, vel portatile, an altare censeri possit privilegiatum, etiamsi sit portatile?" S. C. Ind. respondit: »Negative, excepto casu indulti altaris privilegiati personalis, quo frui potest sacerdos in quocumque altari sive fixo, sive portatili celebraturus." Mechlinien. 15 Dec. 1841. n. 521.

Quid fixi altaris nomine intelligatur hoc loco, authenticae declarationes docent: »Professor publicus ordinarius Sac. Canonum in Acad. Cath. Lovaniensi Dioecesis Mechliniensis, ex responsionibus hujus Sac. Congregationis sub die 15 Dec. 1841 ad dubia ab ipso oratore proposita, iterum quaerit. 1. Quid intellexit Sac. Congr. per verba: »Altare fixum seu locale"? Quid per vocem: »Altare portatile"? Sac. Congregatio Indulgentiarum respondit ad primum »intellexisse *Altare fixum* quidem, quod a loco dimoveri non possit, sed non tamen cujus superior pars, sive mensa, sit ex integro lapide vel adeo calce conjuncta, ut lapis consecratus amoveri non possit; secus enim diruto altari quod privilegiatum concessum erat ob alicujus sancti imaginem, post novam constructionem, novo indigeret privilegio." Item ad secundum: »intellexisse altare, ut dicitur *Viaticum*, quod constat tantum ex unico lapide integro tantae magnitudinis, ut calicis pedem cum patena saltem quoad majorem partem capere possit, vel quod de uno in alium locum transfertur." Mechlinien. 20 Martii 1846. n. 574.

Brevius id expressit S. S. D. N. Pius Papa IX in rescripto S. C. Ind. 26 Martii 1867: »Ne autem dubium circa qualitatem altaris fixi exoriatur, Sanctitas Sua edixit et declaravit sufficere, ad constituendam qualitatem Altaris fixi, ut in medio Altaris stabilis et inamovibilis,

licet non consecrati, lapis consecratus etiam amovibilis ponatur." Acta S. Sedis. *vol.* 3. *p.* 100.

134. *Species missae.* Legem statuerunt Pontifices Alex. VII, Clemens IX, Innoc. XI *l. l. c. c.* necesse esse ad lucrandam indulgentiam, ut offeratur missa de requie iis diebus, quibus hujusmodi missa celebrari permittitur; caeteris diebus missa de die vel festo currente. Hisce diebus, non vacuis missae de requie, aequivalere missam puto in altari privilegiato, in quo exponitur SS. Sacramentum; nam quum peteretur a S. C. Ind. »An missa de festo semiduplici, votiva vel de feria celebrata in altari privilegiato, in quo exponitur S. S. Eucharistiae Sacramentum, sive in ostensorio sive in ciborio, suffragetur pro defunctis ac si missa de requie dicatur in casu, etc.?" S. C. respondit die 20 Julii 1751: »Affirmative." Decret. Urbis et Orbis. n. 200.

Proposita Sedis Apostolicae lex complectitur tum privilegium locale tum personale. De *locali* fuit S. Congr. Ind. interrogata: »Utrum, ad acquirendam plenariam indulgentiam pro defunctis, sacerdos qui sacrum facit in altari privilegiato, pro singulis diebus, teneatur paramentis nigri coloris uti diebus non impeditis? Respondit die 11 Aprilis 1840: »Affirmative." n. 586. Et iterum die 16 Febr. 1852 n. 619. decrevit: »Ut fruatur altari privilegiato sacerdos diebus non impeditis, celebrare debet missam defunctorum, et uti paramentis nigris, vel ex rationabili causa, violaceis." — De *personali* quum quis eam interrogasset: »II Utrum, qui privilegium habet personale pro quatuor missis in hebdomadis singulis, debeat cum paramentis colore nigro celebrare diebus non impeditis, ut possit indulgentiam plenariam pro animabus defunctorum lucrari? III Utrum, qui celebrat in Altari privilegiato pro singulis diebus, debeat semper uti para-

mentis nigris, diebus non impeditis, ut indulgentiam privilegii consequatur?" S. C. die 11 Aprilis 1840 rescripsit: »Ad II. Affirmative. Ad III. Ut in secundo." Editor Theol. Mor. S. Lig. Mechlin. 1845 pro responso »affirmative", scripsit »negative", sicque accidit, ut errans putaverit antiquam Ecclesiae legem atque disciplinam, Sancti Alphonsi tempore vigentem (cfr. *l. c. n.* 339), mutatam esse.

135. Continetur saepe in privilegii indulto haec similisve clausula: »dummodo tot missae [v. g. decem] quotidie [vel, toties in hebdomade] in ecclesia celebrentur", cujus ea vis est, ut quoties ista conditio non accurate impletur, nisi raro fiat, privilegium interea suspensum sit, seu effectu interim privetur. V. B. XIV. *Inst.* 56. *n.* 17. et decreta S. C. Ind. apud Prinzivalli sub *n.* 208.

136. Indulgentia quandoque dividi non potest a sacrificio; quandoque sic potest dividi, ut missa offeratur pro uno, indulgentia pro alio. Non potest dividi, cum indultum attribuit indulgentiam defuncto, pro quo celebratur; e. g. si habet, »qui pro defuncto missam in tali altari dixerit, liberat animam ejus, etc." Potest vero dividi, cum talia in indulto non leguntur, nec erogans eleemosynam onus imposuerit celebrandi in altari privilegiato. V. Resp. S. C. Ind. diei 31 Jan. 1848, n. 602.

137. Superest, antequam hanc de aris privilegiatis explicationem absolvamus, una quaestio, praesenti loco maxime propria, qua ratione scilicet impleatur suscepta obligatio celebrandi ad altare privilegiatum.

Constringit haec obligatio sacerdotem, cui vel ex fundatione, vel ex stipendio manuali expresse mandatum est celebrare ad hujusmodi altare, vel lucrari eam indulgentiam. Is itaque sacerdos tenetur sub peccato dicere missam in altari privilegiato, vel quod aequivalet, applicare personale privilegium, ideoque et eam missae spe-

ciem eligere, quae ad lucrandam indulgentiam ex Pontificiis constitutionibus dicenda est. Celebrationi ad aram privilegiatam aequivalere dicimus applicationem privilegii personalis; ita namque habet decretum S. C. Ind. 15 Febr. 1852 n. 620: »Cajus sacerdos habens privilegium personale altaris privilegiati, bis aut ter in hebdomada, accepto stipendio pro missa celebranda in altari privilegiato, ex praetextu personalis privilegii ejusdem altaris privilegiati, celebrat in altari non privilegiato. Quaeritur, an bene se gerat, et utrum oneri suscepto satisfaciat." S. C. Ind. resp. »Affirmative."

138. Qui non satisfacit susceptae obligationi, de qua agimus, ei incumbit laesi juris redintegratio, quae sic proponitur in S. Lig. *Hom. Ap. De Sacrm. Euch. n.* 75: »Si sacerdos celebraturus esset in altari privilegiato, et alibi celebraret, dicit Roncagl. teneri ad restitutionem, si eleemosyna esset pinguis, non autem si esset ordinaria; et nec si alibi lucraretur indulgentiam plenariam applicabilem pro defunctis; ut dicunt..." Haec itaque sententia sacerdotem, officio infidelem, absolvit, modo lucretur aliam indulgentiam plenariam.

139. *Tempus.* Obligatio celebrandi stato tempore eadem regitur lege atque obligatio celebrandi loco determinato. Quapropter si sacerdos celebrat alia hora, vel die, quam a fundatore aut eleemosynam dante constitutum est, peccat mortaliter; modo id faciat saepius, aut sine justa causa, aut sine dispensatione (R. Pcis), atque gravem ob causam tempus praestitutum sit.

Inutilis quum videatur repetita ejus regulae expositio, juvat potius nonnulla exempla ponere. Observetur modo, in decidendis facti quaestionibus interesse multum, ut fundatoris finis, et, cum justa incidit causa, ejus erga sacerdotem suum aequus animus, prae oculis habeatur.

I. Jussit fundator celebrari missam feria V, VI, Sabbato. Sacerdos non servans eam legem, peccare potest graviter, et leviter, immunis etiam esse a peccato. Id docet exhibita S. Lig. regula. Facilius vel difficilius reus erit gravis peccati pro fine, quem sibi fundator, designando dies, praestituisse constat. Cogita in tabulis fundationis scriptum esse, ut feria V sacrum fiat in adorationem Sanctissimi, feria VI in memoriam Dominicae passionis, sabbato in B. M. V. laudem; finge etiam in alterius fundationis tabulis non legi quidquam, quo significetur magno in pretio ipsos statos dies haberi. Citius videtur ex frequenti neglectu prioris legati, quam ex posterioris transgressione, sacerdos peccaturus graviter.

II. Aliud exemplum. Testamentum sacerdoti praescribit, ut singulis mensibus offerat quindecim sacrificia. Istud jussum si non servaverit, reusne futurus sit gravis an levis peccati, vel ab omni culpa liber, confici ex statuta regula potest. Facilius gravis erit transgressio ejus legati, quod specialem ob causam quovis mense eas missas vult contineri, quam illius, quod nullam hujusmodi causam exhibet; aestimantur enim, qui dierum observantiam avide cupiunt, designationis ejus finem memoraturi. Quare cum fundator pertinere dicit ad decorem suae cappellae vel altaris, nullum praeterire mensem absque praescriptis missis; cum alius scribit, se prodesse velle membris familiae, aut communitatis, aut parochiae, qui eo mense vita funguntur; est in talibus causis judicandum, difficilem se praebere fundatorem, ut aut mensis sequentis missae dicendae anticipentur, aut praecedentis missae resarciantur.

140. Hisce tandem quasdam animadversiones addamus:

a) obligatione celebrandi singulis diebus, vel feria V, VI, Sabbato, non comprehendi tres hebdomadae sanctae

ultimos dies, saltem pro iis, qui solemnia officia non peragunt. De Lugo *De Euch. d.* 21. *s.* 2. *n.* 46; itemque isto praecepto non contineri per se secundam et tertiam Nativitatis missam, nisi aliter jubeatur a fundatore; — neque, ut nonnemo scribit, diem omnium defunctorum; V. B. XIV *De S. M. l.* 3. *c.* 9. *n.* 9; *b*) obligationem ex fundationibus celebrandi diebus festis de praecepto, intelligendam esse, ex mea quidem sententia, de festis tempore fundationis vigentibus, nisi quid ex missarum instrumento videtur secus.

§ VII.

Onerum Missarum immutatio et dissolutio.

141. »Ratio postulat, ut illis, quae bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur. Quando igitur ex beneficiorum quorumcumque erectione seu fundatione, aut aliis constitutionibus, qualitates aliquae requiruntur, seu certo illis onera sunt injuncta, in beneficiorum collatione, seu in quacumque alia dispositione, eis non derogetur." Trid. Conc. *s.* 25. *c.* 5. *de ref.*

142. Quod Tridentinum Concilium de beneficiorum erectione seu fundatione, aut aliis constitutionibus, hic decernit, id de quibusvis fundationibus et dispositionibus piis sancitum est antiqua Ecclesiae lege relata in *can.* 4. *causa* 13. *quaest.* 2: »ultima voluntas defuncti omnibus modis observari debet." His igitur perspicuum fit, prohiberi jure communi, quominus immutetur quod de missarum celebratione testator vel fundator praecepit. Idcirco si qua ecclesia vel quicumque alius locus religiosus aut pius, si quis clericus aut laicus assumpsit onus missarum, omni ratione curare debet, ut, nulla

facta oneris mutatione, praescriptis ordinationibus fideliter satisfiat; obligante ad id tum legis Ecclesiae praecepto, tum contractu seu quasi contractu inito fundatorem inter possessoremque legati.

143. Romano autem Pontifici agnoscimus in hac re potestatem immutandi, quae pateat quam latissime, ita ut possit tum in parvis tum in magnis fundationes mutare, earum haud impleta onera condonare, adhuc implenda reducere, redimi jubere, transferre, abigere, pro sublatis alia nec ne ponere, et quidquid praeterea agere, quo significetur mutatio. Amplissimam hanc in res ecclesiasticas potestatem, B. Petro ejusque successoribus Romanis Pontificibus, Christus Dominus attribuit. Quod apparet manifeste ex verbis, quibus dixit Petro: »et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis." Hanc eamdem in Romano Pontifice potestatem admittit Concilium Viennense. Mandat enim, ut »ea, quae ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium (salva quidem Sedis Apostolicae auctoritate) converti." *Clem. cap. Quia contingit. De religiosis domib.* Idem id conficimus ex Trid. Conc. *s.* 22. *c.* 6 *de ref*, quod Ecclesiae potestatem circa commutationes ultimarum voluntatum, non nisi exstante necessitate aut utilitate exerceri cupit. Etenim cum ejusmodi sanctio admittat eam potestatem in Ecclesia esse, recte dixerimus: si in Ecclesia est, certe in Romano Pontifice sit oportet, qui plenitudinem habet ecclesiasticae potestatis. Atqui decens plane erat et summae imperii auctoritati maxime consentaneum, ut qui toti reipublicae christianae praepositus est, officiumque gerit, illa, quae huic salutaria sunt, ordinandi, idem is facultate polleat immutandi mortuorum dispositiones

easque convertendi in usum haud monstratum ab iis. In quo neque inviti testatores putentur; quod enim Christo et Ecclesiae pie donant, id Ejusdem in terris Vicarii et Ecclesiae Capitis ordinationi submittere, rectissime dicantur; et sua potestate non utitur Romanus Pontifex nisi aut necessitas ad id compellat aut utilitas hortetur.

144. Estne vero etiam in Ordinariis locorum potestas, si non immutandi, saltem commutandi ultimam defunctorum voluntatem, quod attinet ad relicta missarum onera?

Ego quidem sentio, unum Romanum Pontificem, neque praeterea quemquam hanc potestatem obtinere, ita ut ipsi Ordinarii locorum, utcumque tandem necessaria, aut fundationi proficua, commutatio appareat, ea facultate careant, nisi forte haec donata iis sit aut a fundatore, cujus voluntati et in hac re Ecclesiae dispositiones cedunt, aut a Summo Pontifice, qui quod possidet communicare cum aliis potest. Id facile probari arbitror. In Jure Canonico nulla invenitur ordinatio per quam ista potestas Ordinariis locorum efficaciter vindicetur; non deest autem lex, qua haec conversio supremae voluntatis ad auctoritatem solius Sedis Apostolicae referatur: »ea, quae ad certum usum largitione sunt destinata fidelium, ad illum debeant, non ad alium, salva Sedis Apostolicae auctoritate, converti." *Clem. cit.* Deinde, haud exigui numeri declarationes sunt S. C. C., quae potestatem hanc Episcopis obtingere inficiantur. Immo in Comen. 23 Nov. 1765 dicitur aperte: »S. Congregatio perpetua sua sententia hanc doctrinam constabilivit. Commutationes voluntatum a Sede Apostolica non factas, irritas declaravit semper." V. Lucidi *vol. II. p.* 423. Tandem, Urbanus VIII et Innoc. XII *l. c.* § 1. sic statuunt: »Pro his omnibus [missarum oneribus] reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apostolicam Sedem

recurratur, .. alioquin reductiones, moderationes, et commutationes hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas atque inanes decernit."

Sunt tamen Auctores, qui aliter sentiunt, et ex quibus alius alio plus in hac re Episcopis attribuit virium. Inveniri putant textum in *c.* 6. *s.* 22. Trid. Conc., quo concedatur Episcopis saepe dicta facultas. Sed videamus an recte. Tridentinum decernit: »In commutationibus ultimarum voluntatum, quae non nisi ex justa et necessaria causa fieri debent, Episcopi, tamquam delegati Sedis Apostolicae, summarie et extrajudicialiter cognoscant, nihil in precibus, tacita veritate vel suggesta falsitate fuisse narratum, priusquam commutationes praedictae executioni demandentur." Certe constituuntur Episcopi hoc decreto delegati Sedis Apostolicae in commutationis negotio. Cujus autem rei efficiendi causa? An ut ipsi commutent cum justa et necessaria causa subest? Id frustra quaesieris in decreto. Quorsum tandem? Nihil sane nisi ut diligenter inquirant, verane an falsa sint, quae in supplica commutationis exposita fuerunt; praeterea nihil. Sit igitur haec decreti recta intelligentia: »Si ejusmodi commutationes Episcopis a Sede Apostolica delegentur, prius summarie et extrajudicialiter cognoscant, an in impetratione nulla subreptio tacitae veritatis, vel suggestae falsitatis irrepserit." Pirhing ad *tit. De testam. et ult. volunt. n.* 132. Sic etiam S. C. C. in causa Comen. cit. decretum istud Tridentinum interpretatur: »Episcopis in ea sanctione legatam Sedis Apostolicae nomine potestatem dat, qui suam non habent, *cognoscendi de tacita veritate*, *vel suggesta falsitate* precibus quidem jam datis, priusquam commutationes, et quidem jam concessae, executioni demandentur." V. Lucidi *l. c.* Conferamus igitur

in pauca. Praedictae sententiae non favet Tridentina lex; adversatur aperte doctrina S. C. C, quod Tridentinas ordinationes authentice interpretatur; Urbani etiam VIII et Innoc. XII dispositio, quas paullo ante proposuimus.

Insuper affert ista, quam impugnamus, sententia, *caput Nos quidem. De Test.* et decretum Trid. C. *s.* 25. *c.* 4. de reductione missarum; sed de his inferius redibit sermo; nunc notasse satis sit, caput *Nos quidem* praebere quamdam potestatem transferendi onera de loco in locum; Tridentinam legem frustra invocari; atque omnem ex iis locis hauriendam vim generalem sponte evanescere, cum posterioris temporis tum dispositio Urbani VIII et Innoc. XII, tum S. C. C. interpretationes respiciuntur. V. intra *n* 150 et 166.

145. A voluntatis commutatione multum differt ejusdem simplex interpretatio, qua obscura, incerta, dubia cum dispositio est, judicatur quae putanda sit voluntas testatoris. Hoc munus ad Ordinarios locorum pertinet, ideoque et potestas judicandi, secundum Ecclesiae leges, de controversiis et litibus, quae in hac materia deferri ad eorum tribunalia contingit. In his Episcopi tamquam judices partes agunt justitiae, in commutatione voluntatis Romanus Pontifex tamquam princeps supremus partes agit gratiae.

146. His positis manifestum sit, immutationem onerum missarum ideoque et dissolutionem, quantum jure positivo statui queunt, plane dependere a Summi Pontificis voluntate; causas proinde, quibus haec onera mutari et tolli posse dicuntur, sintne verae et firmae, ponderandas esse eadem voluntate Sedis Apostolicae. De causis istis nunc dicendum est. Recenseri solent, primum revocatio donantis, deinde condonatio et reductio Romani Pontificis, tum dotis atque redditum amissio et imminutio, tandem redemptio oneris, translatio fundationis, praescriptio.

Art. I.

Revocatio donantis.

147. Quemadmodum jura omnia permittunt, res suas per actum donationis in alium transferre, ita etiam, quae hoc pacto legitime translatae sunt, vindicant accipienti, donantique repetendi facultatem recusant. Cum autem donans stipulare possit, ut quod dedit ad se revertatur, si quid eveniat, aut nisi quid fiat a donatore; et cum casus incidere possint, ut humanitatis atque pietatis officia, quandoque etiam ingrati animi scelera, revocari postulent datum; idcirco per ipsas quoque leges moderamina quaedam opportune sapienterque posita sunt; quibus revocari annuunt donationem, si adjecta conditio resolutiva non impletur, si donatio inofficiosa est, si proles deinceps suscepta, si donatarius ingratus.

148. Sed ut missarum oneribus proposita applicemus, adhibenda est bene cognita divisio donationis inter vivos et donationis per actum ultimae voluntatis.

Res, quae *donatione inter vivos* translatae sunt in Ecclesiae dominium, desinunt ejus esse qui dedit, atque propterea instituta hac ratione missarum fundatio, irrevocabilis est, nisi: *a*) conditio *resolutoria* non impleatur; quo contingente casu, donans vel totum revocat vel partem pro indole appositae stipulationis; *b*) nisi donatio sit *inofficiosa* (in officium parentum), id est tanta, ut filii legitima portione privati sint; revocatur haec ad partem legitimam liberorum *l.* 1. 5. 7. 8. *Cod. De inofficiosis donationibus;* *c*) nisi *proles postea nascatur*, id est, si is dedit, cui tempore donationis liberi non erant, postea vero nati sunt. Et hic repetere bona potest, quae legitimae por-

tionis mensuram excedunt. Doctorum communis satis sententia (V. Reiff. ad *tit. De donat. n.* 69 *sqq.*) exceptionem hanc repetit ex *l.* 8. *cod. De revoc. donat.*, quae tamen lex mandat, ut quod patronus libertis dedit, et omne id quod dedit, ad ipsum dicto casu revertatur. Adhibitam itaque legem dum Auctores non solis libertis applicant, sed quibuscumque insuper aliis personis, vim ejus praeter verba extendunt; dumque revocari ad legitimam tantum bona data permittunt, ejusdem vim contrahere non verentur. Cujus rei haec ratio sit. Extenditur lex de liberto ad alios, quia in his, comparate ad patroni casum, merito aequiparatis, ratio legis, seu aequitas ex officio pietatis erga filios, par utrobique est, ita ut locus sit principio: »ubi eadem est ratio, eadem est legis dispositio." Contrahitur lex, quoniam donatio missarum facta est Ecclesiae seu causis piis. Hae namque habentur instar liberorum, seu fruuntur liberorum privilegiis. *Auth. si qua mulier. cod. De S.S. Ecclesiis.* Atqui donatio facta filio non tota revocatur, sed sola pars quae ligitimam superat. *L.* 5 et 7 *De inoffic. donat.* — Exceptio *ingrati animi* (de qua in *c. fin. De donat.* et *l.* 1. *c. De revoc. donat.*) invocari nequit, ut repetatur fundatio, nam quod ecclesiae donatur piisque causis, id donatum principaliter Deo est.

149. Res per *actum ultimae voluntatis* in missarum onera destinatae, dum vixerit disponens, in ejus arbitrio manent, quum adhuc eas non transtulerit. Propterea dicit lex: »ambulatoria est voluntas defuncti usque ad vitae supremum exitum »*L.* 4. *De adimendis leg.* Quamobrem jus libertasque testatori permittitur revocandi quidquid sive facto sive verbo per actum ultimae voluntatis, ceu donationem mortis causa, testamentum, legatumve, constituit. Ut autem quod disposuit per testa-

mentum, per verba revocet valide, necesse est revocationem faciat coram tribus saltem testibus, vel, ut dicunt, coram Actis seu apud Acta, id est, coram judice competente, aut delegatis ab eo (v. Reiff. ad *tit. De testam. et ult. vol. n.* 252 *et* 764, insuperque decennium jam elapsum sit a tempore conditi testamenti. *L. Sancimus* 27 *cod. De testam.*

Cum testator vita functus est, poterit etiam, si ex stipulatione licet, revocari donatio non impletae conditionis causa, atque repeti pars, quae exsuperat legitimam portionem.

Art. II.

Condonatio et Reductio.

150. Est in plenaria potestate Sedis Apostolicae facultas condonandi et reducendi missarum fundationes; abest vero Episcoporum sacris juribus, nisi aut ipse fundator aut Romanus Pontifex aliter statuerit. Haec ante oculos ex iis sunt, quae disputavimus sub *n.* 142, 143 et 144. Atqui Sedem Apostolicam pro imminutione seu reductione numeri missarum aliter statuisse, id est, in Tridentino Concilio *c. 4. s.* 25. *de ref.* permisisse Episcopis facultatem reducendi missarum numerum, placuit nonnullis Doctoribus (V. S. Lig. *l. c. n.* 331. *Dub. I*). Non recte tamen judicasse dicendi sunt. Nam Tridentinum permisit tantummodo, ut onera missarum, ante Concilium imposita, reduci ab Episcopis in prima possent synodo post Concilium habenda. Praeterea successit Tridentino Concilio decretum Urbani VIII *Cum saepe contingat*, renovatum postea et confirmatum ab Innocentio XII in Const. *Nuper*, quo Episcopis denegatur hujusmodi facultas. Quapropter, ut ait Ben. XIV *De S. D. l.* 13.



c. ult. n. 19, omnis de hac re controversia silere debet, atque missarum reductio Apostolicae Sedis auctoritati privative reservata dici. In decreto Urbani VIII haec sunt § 2: »districte prohibet, atque interdicit, ne Episcopi in dioecesana synodo, aut Generales in capitulis generalibus, vel alias quoquomodo reducant onera ulla missarum celebrandarum, aut post idem Concilium imposita, aut in limine fundationis: sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apostolicam Sedem recurratur, quae, re diligenter perspecta, id statuet, quod magis in Domino expedire arbitrabitur; alioquin reductiones hujusmodi, si quas contra hujus prohibitionis formam fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes decernit."

151. Idcirco nullam hodie leges Ecclesiae Episcopis potestatem relinquunt, ut reducere valeant onera missarum, ita ut eo jure destituantur tum postquam accepta est fundatio, tum antequam acceptatur, esto reditus oneri impares videant; defuncti enim voluntatem non possunt immutare. »Quia autem nonnemo, subtilius commentando, in quaestionem revocaverat, an Urbani Pontificis decretum, agens de oneribus acceptatis, afficeret quoque onera nondum acceptata; adeo ut non quidem liceret Episcopo reducere, antequam agnoscantur et acceptentur, si reditus in eorum implementum assignatos impares deprehenderit; ideo definitum, rescriptumque fuit, ne id quidem licere Episcopo, ipsique nullam hodie relictam esse facultatem reducendi missas, excepta dumtaxat ea facti specie, qua testator ipse hanc facultatem Episcopo tribuisse dignoscatur, cum illius voluntas sit religiose custodienda." B. XIV *l. c. n.* 19. *cfr. l.* 5. *c.* 10. *n.* 1. 2.

152. Sunt etiam eventus, in quibus Ordinarii, quin

simpliciter et proprie reducant onera missarum, potestate sua judiciali utentes, de constituta vel non constituta obligatione, de resoluto vel non resoluto onere, de rescindendo contractu, vel ad aequi et justi normam redigendo, pronuntiant; in quibus ferendis sententiis »limites ordinariae jurisdictionis nequaquam excedunt." B. XIV *l. c. n.* 9. Impropriae hujusmodi reductionis haec exempla Pontifex *l. c.* exhibet. Contendit aliquis testamentum, in quo scriptum est legatum missarum, imperfectum esse in eo quod pertinet ad completam absolutamque testatoris voluntatem, quam abfuisse affirmat; et super eo conformem votis suis refert sententiam. — Tuetur haeres, non potuisse testatorem onera missarum imponere, propterea quod nihil proprium haberet, quod scripti oneris implemento posset addicere. — Testator, qui satis in bonis habebat, pro dote missarum celebrandarum designavit quidem, constituitque fundum aliquem, aut debitoris nomen legitimum tutumque, sed medio tempore inter testamentum et subsecutum obitum, voluntaria alienatione praedium nomenve debitoris in dotem constitutam distraxit. — Sustinet alius extinctam peremptamque esse obligationem celebrationis missarum, quia elapsum sit tempus, quod implemento seu celebrationi missarum statuerat pius fundator. — Episcopi in his casibus declarant ac judicant, onus missarum vel nulliter impositum, vel resolutum, irritumque factum, vel denique satis impletum fuisse. — Sed praeterea, cum inito contractu injunctum et acceptum est onus missarum, atque deinceps redditus, pro adimplendo onere assignati, sine culpa assignatarii notabiliter diminuuntur vel pereunt, adeo ut antiqua conventio attento tempore praesenti injusta et laesiva evadat, potest ex juris dispositione, implorata judicis sententia, rescindi contractus vel saltem ad justi

et aequi normam reduci. V. B. XIV *l. c. n.* 26, et Monacelli *Formularium legale. tit. XVI. form. X. n.* 17 et *Supplem. n.* 466 *sqq.*, ubi nonnulla, quae judicis animadversione in hoc tractando negotio admodum digna sunt, notavit.

153. His de potestate dictis pergamus ad reliqua. Cui conceditur omittere missas, quae praeterito tempore celebrandae fuerant, illi condonatio, remissio, absolutio data dicitur. Providet haec gratia tempori praeterito. Cui permittitur, ut susceptum missarum numerum in posterum minuat, huic reductio concessa dicitur. Spectat reductio tempus futurum.

Quamquam, ut susceptae obligationes fidelissime adimpleantur, S. Sedes Apostolica modis omnibus jubeat multisque cautionibus curet (V. supra *n.*62 *sqq.*), tamen incurrunt quandoque tempora, ex annonae caritate, reddituum extenuatione, aliis causis, cum repugnare officium aequitati videtur, ita ut abstinere a condonando vel reducendo, licet invita, non possit. Sed mirabilis ejus charitas justitiaeque amor cum condonare cogitur, damna spiritualia avertere novit. Etenim ex spirituali thesauro supplet quidquid in oneribus implendis peccatum est; in suffragium et expiationem animarum, pro quibus omissa sacrificia offerri debuerant, congruum missarum numerum quotidie a capellanis, huic muneri in Vaticana Basilica addictis, celebrari mandat; atque pia opera pro facti circumstantiis ac praetermisso sacrificiorum numero iis persolvenda imponere solet, qui condonationes postulant. B. XIV *l. c. n.* 15.

154. Causa, ob quas implorari reductio potest, sunt decrementum reddituum, qui fuerunt pro onerum implemento assignati, et adaucta legitime missarum eleemosyna; »quo nimirum fit, ut, quamvis initio id, quod

constituit fundator in praescripti oneris supportationem, ad illius implementum satis haberetur; nihilominus, auctis subinde missarum eleemosynis, impar deprehendatur, nec ullus reperiri valeat sacerdos, qui, oblata juxta veterem taxam eleemosyna, missam celebrare velit, proindeque is, cui onus est curandi hujusmodi missarum celebrationem, si velit imposito sibi oneri satisfacere, cogatur sacerdotibus celebraturis pinguiorem eleemosynam largiri." B. XIV *l. c. n.* 28. Sunt insuper causae, ait S. Lig. *l. c. n.* 331, »paucitas sacerdotum, stipendii tenuitas, vel augmentum stipendii currentis, extenuatio redituum monasterii, vel majores expensae necessariae ad victum, etc.; denique si urgeret necessitas fratrum, vel fabricae ecclesiae, aut monasterii."

155. Bene igitur sperare legatarius potest de consequenda reductione, quando verum patitur damnum ex inculpabili reddituum imminutione vel ex aucto stipendio missarum aut annonae pretio, atque nemo est, cui incumbit vel cogi potest, exstantem defectum supplere. Cum tamen per contractum onera imposita sunt, non conceditur ex S. C. C. praxi reductio, sed petitur a judice ut temperet numerum vel rescindat conventionem. V. *n.* 151 et 161. Quod si fundatio cum onera missarum comprehendat tum alia pia opera, rogatur potius reductio aliorum operum, nisi fundator suum fundum missis celebrandis, suumque reliquis operibus assignaverit; vel ejus sit voluntas, aut talis merito conjiciatur, ut contingente reddituum imminutione anteponatur missarum reductio. B. XIV. *l. c. n.* 23.

156. Propterea in libello supplici reductionis, exhibere legatarius debet ipsum fundationis textum, insuper damnum exponere, quod patitur, atque in his innoxium se ostendere; tandemque demonstrare, non integrum sibi

esse, ut cogat haeredem ad praestandum quod deest, aut debitorem ad solvendum quod solvere tenetur. V. B. XIV *l. c. n.* 29 et 33.

157. Sancta Sedes facit quandoque Episcopis copiam reducendi onera missarum. Qua in re gerenda ut Ordinarii et alii, ad quos spectat, non aberrent, Benedictus XIV opportuna praecepta dedit in ultimo capite libri De Synodo Dioecesana.

Primum docet, hujusmodi facultates Episcoporum non aliunde nunc derivari, quam ex ampliatione Indulti, quo donati fuerunt Episcopi, qui Concilio Romano interfuerunt, vel ex Instructione, quam Congregatio Concilii transmittit ad eos Episcopos, quibus Summo Pontifice annuente, tales reductiones committuntur (*n.* 22). — Deinde observat, non contineri per se in illis facultatibus nec missas manuales (*n.* 29), nec onera ex contractu (*n.* 25), nec beneficia (*n.* 26). — Necesse est legitima reductionis causa in promptu sit (*n.* 27, 28); nec haeres aliquis defectum supplere teneatur, nam aliter hic cogi ad supplendum debet (*n.* 29, 32). — Si jubente fundatore reditus adhibendi sunt tum pro missarum certo numero tum pro aliis piis operibus, consuetae facultates haud sufficiunt, ut reductionem faciat Episcopus (*n.* 22, 24); excipiendus tamen videtur casus, quo fundator certum fundum pro celebratione missarum, et alium pro reliquis piis operibus designaverit; solas enim tunc reducendo missas, caetera opera multatenus tangit (v. *n.* 23), — Quantitas stipendii in reductione prae oculis habenda, diversa est pro facultatibus, quibus Episcopi utuntur. Qui enim reducunt vigore facultatum sibi indultarum per viam ampliationis Indulti Concilii Romani, rem componunt adhibita norma, quam indicat *n.* 34; qui autem, ob insufficientiam redituum, missas reducere per-

mittuntur servata Instructione S. C. C., sacrificiorum numerum determinant *ad manualem;* statuunt nimirum, ut tot imposterum celebrentur missae quot celebrari possunt constituta eleemosyna juxta eam quantitatem, quae vel ex synodali taxatione, vel ex recepta regionis consuetudine praestatur pro singulis missis, quae fideles dietim, ad manus tradita sacerdotibus eleemosyna, celebrari curant *n.* 35. — Reductioni confectae additur clausula: »Quod si reditus augeantur, augeri quoque debet missarum numerus" (*n.* 35). — Absolvit Pontifex dictum caput proposita ex Pasqualigo (*De Sacrif. N. L. q.* 1182) hac animadversione, posse videlicet Regulares Dioecesis se subjicere Episcopo in ordine ad obtinendam reductionem, cum Sancta Sedes eidem concesserit reducere suae Dioecesis missarum onera, quippe quum ista licentia implicite in tali indulto contineatur.

Art. III.

Dotis atque reddituum amissio et imminutio.

158. Ex his, quae statim dicta sunt, recte concludere possumus, pereunte vel decrescente fundationis dote minime per illud ipsum perire semper vel decrescere onus sive haeredi sive legatario impositum. Quod uberius jam exponere debemus, servata distinctione haeredem inter et legatarium.

159. De *haeredis* officio instar regulae statui potest, haeredem praestare id debere, quod ab eodem praestari voluit testator. Jam vero »illud inficiari non posse videtur, si pius fundator numerum expresserit missarum in animae suae expiationem celebrandarum, exempli causa, unam, pluresve in dies singulos, vel tot missas in an-

num, licet in eum finem nominatim hunc, aut illum fundum addixerit, nihilominus in favorem animae amplectendam esse praesumptionem, sive conjecturam, per quam praescriptus missarum numerus integer, nihilque imminutus relinqui debet; quidquid vero ad earum implementum desideratur, supplendum, praestandumque est ab haerede" B. XIV *l. c. n.* 31. Sed ista probabilis conjectura cum cedere veritati debeat aliisque fortioribus conjecturis (*l. c.*), proposita regula uberius nobis explicanda est.

Quamobrem, si quis haeres fundum seu rem habeat, quae ex voluntate testatoris consignanda est legatario, ipsa autem illa res interim pereat aut diminuatur, interitus et imminutio hujusmodi cedit damno haeredis, qui proinde supplere tenetur (B. XIV. *l. c. n.* 33). Praesumitur enim non ante testatoris voluntatem adimpletam esse ab haerede, quam hic legatario in animae suae refrigerium tradiderit bonum illud ipsum, quod designavit, vel eo consumpto aliud aequale, vel imminuto supplementum.

Si quis alius, qui pariter ex testatoris praecepto fundum legatario debuit tradere, id effecerit, atque deinceps res aut pereat aut imminuatur, iste ad nihil tenetur ulterius, quum piae testatoris voluntati plane satisfecisse dicendus sit. B. XIV. *l. c.*

Tandem, si quis tertius est, qui testatore sic disponente non ipsum fundum sed fundi redditus porrigere debet, facile contingere potest, ut is, ex praesumpta testatoris voluntate, cum perit res aut fructus oneri impares evadunt, supplere teneatur. Quapropter, ni ex ipsis fundationis verbis clare pateat, quid in hoc negotio aestimandum sit, ex dispositionis seu legati forma inquiritur, volueritne testator unam eam rem, neque

praeterea quamquam de bonis suis, in dotem constituere, seu *taxative*, ut dicunt in oneris expletionem decernere; an primo tantum et potiori loco designare, omnemque insuper gravare haereditatem in securitatem oneris, seu *demonstrative* nominatum fundum oneri addicere. Istud autem judicium, mandante Sede Apostolica, statuitur ex ordine rerum, qui in dispositione est. Si nimirum fundator dispositionem exordiatur ab assignatione fundi seu dotis, indeque progrediatur ad definiendum missarum onus, censetur fundi constitutionem taxative fecisse, ita ut haeres deficientibus redditibus non obligetur supplere. Si vero contrarium ordinem secutus sit testator, incipiendo nempe ab onere missarum et deinceps pergendo ad designationem fundi, demonstrative egisse praesumitur, atque haeres ad perpetuam oneris manutentionem tenetur, et ad supplendum summam deficientem tam pro praeterito quam pro futuro tempore. Hic judicandi modus instar juris regulae a S. Sede proponitur, estque igitur ab omnibus servandus. B. XIV *l. c. n.* 32. Si res dubia manserit adhuc, demonstrative facta supponitur fundi designatio; quod satis apparet ex proposita praesumptione in principio hujus numeri. Nihil autem interest, si fundi assignatio demonstrative facta est, utrum nec ne haeres legatario ipsum fundum tradiderit (*l. c. n.* 33), cum testator id velle praesumitur, ut, deficientibus designatis fructibus, impensae ex aliis suis bonis solvantur.

160. De *legatarii* officio, cum contingit dotem sive reditus perire aut *plane deficere*, S. Lig. (*l. c. n.* 331. *Dub.* 2) hanc ponit regulam: »Si deficiant [reditus] in totum sine ipsius culpa, certum est non teneri [capellanum] missas celebrare, ut communiter dicunt Croix... Idque declaratum fuit a S. C. ut diximus *n.* 324 in fine.''

Sub isto autem numero S. Doctor scripserat: »notandum aliud decretum S. C. emanatum 7 Julii 1686 (Vide apud Pitton. in constit. pro paroch. *n.* 1697), ubi dictum fuit, quod capellani et beneficiati celebrantes pro capellaniae, seu beneficii fundatore, non tenentur Missas celebrare tempore quo capitale dotis assignatae est otiosum et infructiferum, sine eorum culpa. Et novissime hoc idem confirmatum fuit die 8 Aug. 1705 apud eumdem Pitton." De eodem eventu Lucius Ferr. haec habet ad V. *Missa, prout est Sacrif. art.* 3. *n.* 26: »Capellanus non tenetur missas celebrare tempore quo capitale dotis assignatae est otiosum et infructiferum sine sua culpa; ut si capitale dotis, vel legatum relictum cum onere missarum consisteret in pecunia in capsa retenta per haeredem legantis solvenda, vel si data ad censum, fuerit restituta donec non sequatur investimentum in bonis frugiferis, vel constituatur alius census frugiferus, capellanus, sive ecclesia, vel alius locus pius, cui fuit injunctum tale onus missarum, non tenetur ex propriis aliis redditibus ad celebrationem ipsarum missarum. Sic decrevit S. C. C. 15 Sept. 1677, et in una Forosempronien. 7 Junii 1687 ad 5, et in una Monopolitana 8 Aug. 1705." Hisce addit Monacelli in *Formulario tit.* 6. *Form.* 9. *n.* 2: »Idem dicendum venit [non teneri legatarium ex propriis aliis redditibus Missas celebrari facere] quando fructus sive redditus cujusvis relicti, factis debitis diligentiis, exigi et percipi non possent, aut sine culpa legatarii periissent, ut communiter tradunt Ricc... Chrispin. *De visit. past.*" Hic qui ultimo loco adducitur Auctor propositum confirmat declaratione S. C. C. 5 Junii 1641: »Congregatio Concilii censuit oretenus insinuandum Procuratori Generali Religionis N. N. Monachos non teneri ad celebrationem Missae, si factis diligentiis, fructus locorum

montium relictorum exigi non possunt." Ed. Neap. 1855 *c.* 10. § 2.

161. Sed excipi debere, notarunt Auctores, missarum fundos seu reditus, qui culpa legatarii perierunt; pariterque illi excipiantur, qui absque Sedis Apostolicae venia consumpti sunt alium in finem, exempli gratia, in aedificationem ecclesiae. Praeterea excipi debent onera missarum acceptata per contractum; nam pereuntibus fundis seu reditibus implorandum est officium judicis pro contractus rescissione, titulo laesionis, quatenus aliter in contractu non fuerit stipulatum. V. Monacelli *l. c. tit.* 16. *Form.* 10. *n.* 17. et Instruct. S. C. C. apud B. XIV *l. c.*; idque juri de contractibus onerosis plane consentaneum esse videtur, ut nimirum, qui accepto lucro futurum onus in se suscepit, is lucro cessante licet inculpate non eximatur ab officio, quod alteri contrahenti praestare vi conventionis debet, nisi aut per contrahentem socium aut per competentis auctoritatis decretum liberetur. Tandem et illi fundi excipiuntur, quos consumptos vel extenuatos haeres adaugere debet.

Propositae exceptiones ob oculos habendae sunt non solum cum penitus perierunt fundationis redditus, sed etiam cum pars consumpta est, de quo casu jam sermo habendus.

162. De legatarii obligatione imminutis reditibus S. Lig. *l. c.* haec ait: »Si reditus deficiant in parte, etiam videtur certum cum Escobar n. 638 posse capellanum minuere Missas casu quo testator congruam eleemosynam designaverit, v. g. tarenum pro qualibet Missa; quia tunc sicut augendus esset numerus Missarum si reditus augerentur, ita minuendus est si reditus diminuuntur." Haec resolutio plane congruere videtur suppositae testatoris voluntati. Cum enim is ex dotis redditibus, pro majori

vel minori, quae in promptu erit summa, celebrari jussit missas ad rationem determinati vel per ipsum, vel per Ordinarium stipendii, curae legatarii permisit, missarum numerum ad propositam mensuram augere et minuere.

Pergit S. Lig.: »Major difficultas est, an possit capellanus minuere Missas, si testator designaverit numerum missarum et deficit stipendium adhuc ordinarium. Negant... Affirmant... An autem haec opinio [affirmans] sit probabilis, judicio sapientiorum remitto." Cum igitur testator constituerit, ut certis diebus missa celebretur, vel singulis annis praestitutus offeratur missarum numerus, S. Lig. haud enuntiat, num diminutis ad eum modum fructibus, ut ipsum ordinarium, quod viget, stipendium non exaequent, capellano fas an nefas sit contrahere sacrificiorum numerum. Quoniam autem nostra aetate, ex decreto Urbani VIII *Cum saepe contingat*, ex decretis S. C. C. atque Benedicti XIV praeceptis *l. c.* perspicuum sit, solius Sedis Apostolicae esse reducere missarum onera, nisi ipse testator determinavit secus, facere non possumus, quin legatario recusemus facultatem imminuendi missarum numerum. Quapropter si legatarius (exempli gratia, parochus, capitulum, monasterium, quivis pius locus) obligetur certum numerum missarum dicere, fructus autem bonorum impares oneri evaserint, quia aut decreverunt sive quantitate sive pretio; aut antiqua eleemosyna minor hodierna est; aut fundi conductores sive inopiae causa, sive malae voluntatis, redditus pro debito non solvunt; tamen tenetur acceptum onus integre adimplere, donec a Sancta Sede reductionem accipiat, vel, si onus originem ducat ex contractu, donec judiciali sententia ad justi et aequi normam redigatur. V. B. XIV *l. c. n.* 26 Monacelli *l. c. tit.* 16. *form.* 10. *n.* 17. et *Suppl. n.* 466 *sqq.*

163. Sed maximi in hac re pretii consilium est, quod B. XIV l. c. n. 30 praebet: »Si aliquis levissimam hanc simulque saluberrimam curam assumeret percunctandi ex iis, qui testamento vel codicillis, seu etiam quocumque actu inter vivos, perpetua missarum onera imponunt, et fundum pro eorum implemento constituunt, an, eveniente casu, quo minuantur hujusmodi fundi reditus, seu ex alia causa impares evadant eleemosynae praestandae pro singulis missis, testamento, vel alio actu praescriptis, an, inquam, velint, ut id, quod deerit, ex reliquo suo patrimonio suppleatur; an potius consentiant, ut Missarum numerus reducatur ad mensuram reliquorum ejusdem constituti fundi redituum; acceptumque super hoc a pio benefactore responsum referretur in actum illum, quem ipse exarari jubet: praecideretur sane perniciosissima seges tot litium, quae et olim agitatae fuerunt, et nunc quoque apud Judicum tribunalia effervescere conspiciuntur.''

Art. IV.

Redemptio oneris. Translatio fundationis. Praescriptio.

164. *Redemptio oneris.* Si qua ecclesia, aut monasterium, aut Capitulum, aut quicumque locus pius acceptavit legatum, non potest onus istud redimere, seu a suscepto onere se liberare, reddendo bona aut pretium bonorum; quod esset facere contra leges irritantes cum eas, quae vetant alienare bona ecclesiastica, tum eas, quae prohibent mutare fundatoris voluntatem, absque Sedis Apostolicae venia. Esset igitur actus et irritus plane et culpabilis.

165. Nec valet quisquam praeter Summum Pontificem permittere, ut haeres vel quisquis alius sit, cujus haereditati, aut agro, aut domui, caeteris rebus, aut officiis, annua incumbit praestatio solvenda, id oneris redimat; quod pariter esset tum transgredi legem de non mutanda testatoris aut fundatoris dispositione, tum legem violare de non alinandis rebus ecclesiasticis.

Cum igitur haeres aliusve debitor suum optat redimere onus, ejusque faciendi copiam non dederit in legato haeres seu fundator, imploret necesse est veniam Sedis Apostolicae.

Caveri autem hujusmodi occasione debet, ne fundationis conditio fiat deterior. Potest deterior fieri, aut quia res quae offertur non tanti in se valet quanti ipsa fundationis possessio, aut quia minores producit reditus, aut quia consumptionis multo majori periculo exposita est, aut quia amittitur jus in totam haereditatem, quod, ex facta per testatorem demonstrativa fundi constitutione, ecclesiae competit. Quibus in casibus aequitas exiget quandoque, ut vel augeatur pretium redemptionis, vel diserte stipuletur de hauriendis reditibus ex ipso illo antiquo aut ex aliis designatis fundis, cum contigerit haud sufficientes ex novo fundo fructus colligi posse.

166. *Translatio fundationis.* Cum unius Romani Pontificis sit derogare fundatoris dispositioni, consequens est, ut ille unus transferre possit fundationem in locum ab eo diversum, quem decrevit fundator. »Missarum onera, ait Luc. Ferr. *l. c. n.* 17 relicta in determinata ecclesia seu capella non possunt alio transferri absque Sedis Apostolicae licentia, ex S. C. C. in Hispalen. 30 Sept. 1580 et in Brixien. 1 Dec. 1685.'' In supplici libello translationis exponendum imprimis est, cujus rei causa translatio exoptatur, et insuper, si fieri potest, qua

mente fundator eum, quem designavit locum, prae caeteris elegerit.

Concessit Sancta Sedes in Trid. Conc. *s.* 21. *c.* 7. *de ref.* ut »Episcopi, etiam tamquam Sedis Apostolicae delegati, transferre possint beneficia simplicia, etiam jurispatronatus, ex ecclesiis, quae vetustate, vel alias collapsae sint, et ob earum inopiam nequeant instaurari, vocatis iis, quorum interest, in matrices, aut alias Ecclesias locorum eorumdem, seu vicinorum, arbitrio suo." Pariter ex *cap.* 3 *Nos quidem. De testam.* hac eadem potestate Ordinarii locorum praediti videntur, quoties alia quaepiam causa efficit, ut in Ecclesia, a testatore designata, missae celebrari omnino nequeant. V. Lucidi *l. c. p.* 434.

167. *Praescriptio.* »Fit dubium, ait S. Lig. *l. c. n.* 324, an circa onera missarum, et conditiones in fundatione appositas possit dari praescriptio." Quae sancti Ecclesiae Doctoris quaestio intelligenda est de praescriptione, seu non observantia, seu consuetudine, vel longissima, adeoque centenaria et immemorabili. Responsum affirmans et negans sic contrahimus: Aliis placet eam vim praescriptioni tribuere, quoniam praescriptione, nisi lex obstet, jura quaevis mutantur; lege autem onera missarum subtrahi non videntur a potestate praescriptionis. Aliis vero placet, et hoc »verius videtur", eam vim recusare praescriptioni, quum consuetudinem in hac re lege non admitti judicent. Idque manifeste percipere arbitrantur, quisquis decretum Trid. Conc. *s.* 25. *c.* 5 *de ref.* conjunxerit cum Bulla Pii IV *Benedictus Deus.* Sancivit Tridentinum Concilium, derogari non posse qualitatibus et oneribus ex fundatione injunctis: »Quando igitur ex beneficiorum quorumcumque erectione seu fundatione, aut aliis constitutionibus, qualitates aliquae

requiruntur, seu certa illis onera sunt injuncta; in beneficiorum collatione, seu in quacumque alia dispositione, eis non derogetur." Declaravit Pius IV, quidquid factum fuerit contra Tridentini Concilii decreta, irritum prorsus esse. Ergo et irrita consuetudo repugnans Tridentinis decretis.

Cardinalis Lambertini, idem qui postea Ben. XIV, potestatem consuetudinis Synodo Tridentinae adversantis, in alia causa sic dijudicat: »Licet ejusmodi consuetudo constans haberetur, nihili tamen facienda esset, cum Tridentino Concilio apertissime repugnet. Quamvis enim post decretum, quo professio Fidei praecipitur, aliud decretum non sequatur abrogans quaecumque in contrarium proferri possint, tamen id cautum satis fuit per Pium IV Pontificem in ea Constitutione, quae incipit *Benedictus Deus*, et quae in fine Concilii solet excudi, et libro secundo Romani Bullarii continetur. Illa quidem abrogat omnia, quae Tridentinae Synodo contraria esse videantur; ideoque singula ejusdem Concilii capita simul amplectitur, et nullius efficit momenti consuetudines, quae leges aliquas in iisdem capitibus praescriptas violent." *Inst.* 60. *n.* 7.

Defendendam igitur meliori jure eam sententiam puto, quae ope praescriptionis onera missarum mutari negat. Et huic favent S. C. C. resolutiones, ad propositos in hac materia casus latae. Recensentur a Lucidi *l. c. vol.* 2. *p.* 397 *sqq.*

168. Est tamen advertendum, arctari Tridentini legem ad *qualitates* et *certa onera*, quae ex fundatione injunguntur. *Qualitates* spectari puto, quas fundator in suo legatario, capellano, requirit, e. g. sit consanguineus, sit sacerdos; *onera*, obligationes tum capellano, tum quibusvis aliis impositas. Quae si recte dixi, non omnis abigitur legitima consuetudo ex missarum fundationibus,

potestque e. g. jus patronatus et collationis, in fundatione statutum, ope contrariae consuetudinis uni deperdi, acquiri alteri.

CAPUT IV.

MISSAE EODEM DIE ITERATIO.

§ 1.

Antiqua et hodierna Ecclesiae disciplina.

169. Nullum est in sacra scriptura et traditione argumentum, quo jure divino sancitum dicatur, ut semel dumtaxat in die sacerdos missarum solemnia celebret. »Non utique jus divinum prohibet, eodem die ab eodem sacerdote sacrificium iterari." B. XIV. Const. *Declarasti.* 16 Martii 1746.

Eam ob causam prioribus Ecclesiae saeculis quum necdum constituta per Sedem Apostolicam ea disciplina esset, qua nunc in hoc genere utimur, ex vera sacerdotum fideliumque in Deum pietate mos inolevit, ut certis in adjunctis, certisque recurrentibus festis, idem sacerdos bis, quandoque pluries, in die offerret Deo sacrificium laudis et propitiationis. S. Albertus monachus »factus presbyter duas in die celebravit Missas, pro vivis alteram, alteram pro defunctis." Leo Pontifex III saepius una die septem, vel novem sacrificia obtulit. V. B. XIV *De Sacrif. Miss. l.* 3. *c.* 4 et *De Festis p.* 1. *n.* 668. Pontas *Dict.*

cas. V. Missa. Porro dies polyliturgici, quibus nimirum singuli sacerdotes plus quam semel missarum sacrificia peragebant, praeter Natalem Domini erant, prima dies mensis Januarii, feria V in Coena Domini, vigilia Ascensionis, tres dies jejunii infra octavam Pentecostes, aliique dies festi nonnullorum sanctorum memoriae dicati, ut Nativitas s. Johannis Baptistae, et Natalis ss. App. Petri et Pauli. V. B. XIV. Const. *Quod expensis* 26 Aug. 1748.

Sordida vero hominum cupiditas abusa nimis est isto privilegio. Quamobrem Sedes Apostolica primum pellere pravos fines tentavit; post, non cessante abusu, ipsum usum abolevit. Saeculo XI Alexander II *can. Sufficit. De consecrat. dist. I*, ipsam rem non improbans perversos damnat fines: »Quidam pro defunctis unam [Missam] faciunt, et alteram de die, si necesse fuerit. Qui vero pro pecuniis, aut adulationibus saecularium una die praesumunt plures facere Missas, non aestimo evadere damnationem."

170. Innocentius III initio saeculi decimi tertii usum tollit, inducitque juris ecclesiastici hodiernam disciplinam: »Respondemus, quod excepto die Nativitatis Dominicae, nisi causa necessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam missam solummodo celebrare." *Cap. Consuluisti. De Celebr. Miss.* (V. B. XIV cit. Const. *Declarasti*). — Exceptio trini sacrificii in Natalitio Christi die solius ritus Latini non Orientalis est. Nullum vel exstat apud Orientalem Ecclesiam vestigium istiusmodi moris. Suus itaque ritus quum Orientalibus sit, suusque Occidentalibus, sacerdotes Ecclesiae Orientalis dicto privilegio uti nequeunt. V. B. XIV Const. *In superiori* 29 *Dec.* 1755.

Hodiedum igitur lex ecclesiastica prohibet sacerdotibus, eodem die sacrificium iterare, excepto die Natali Salvatoris Nostri, quo ter ex antiqua consuetudine, approbata

ab Innoc. III sacris operari possunt, et excepto necessitatis casu, quo, ut mox videbimus, Episcoporum auctoritati demandata facultas est, ut licentiam concedant semel iterandi sacrificium.

171. Privilegio offerendi in festo Nativitatis Dominicae tres missas, quo ubique gentium sacerdotes Ecclesiae Occidentalis potiuntur, Pontifex Benedictus XIV Constitutione *Quod expensis* in gratiam Hispaniae et Portugalliae ditionum, adjecit diem Commemorationis omnium fidelium, ut eo incidente singuli presbyteri tum saeculares tum regulares ter missam celebrare licite valeant; hac tamen addita lege, ut sacrificia, per suam Constitutionem indulta, pro omnibus fidelibus defunctis in genere offerantur, nullumque pro eorum applicatione recipiatur stipendium. Quae Benedictina venia successit Apostolico privilegio, quo dicebatur donata pars earum regionum, cujusque meminit Constitutio *Quod expensis* et alia *Declarasti*. Sed satis de his. Nunc causam necessitatis videamus.

§ II.

Necessitas.

172. Ut necessitatis casu incurrente Parochi aliique sacerdotes repetita vice Sacrum faciant, imprimis indigent Episcopi licentiâ: »Certissimum illud est Missionariis tantum a Sede Apostolica potestatem aliquando fieri, ut uno die sacrificium bis operentur; reliquis vero sacerdotibus opus esse, ut hac de re facultatem ab Episcopo consequantur, etiamsi causa necessitatis intercedere videatur, cujus sane judicium ad ipsos sacerdotes nequaquam pertinet." B. XIV in Const. *Declarasti*.

173. Facultas, quam Episcopi concedunt, non potest »haberi tamquam alicujus sacerdotis privilegium, sed tantum ob causam peculiarem necessitatis." Const. *Declarasti.* Nequit propterea concedi velut privilegium personale, quo sacerdos occurrente aliqua necessitate utatur, ita ut ipse sacerdos necessitatis judex sit; sed potest concedi tantum pro casibus necessitatis, qui fuerint examinati et ad dictum finem approbati ab Episcopo.

174. Quo igitur tempore ea objiciatur necessitas, quam spectat lex Innocentiana, praecipue investigandum est.

Nonnulli Auctores eam incurrere dicunt, si iter facientes aut hospites, esto die feriali, aliter missa careant, aut rex, princeps vel episcopus die festo missam non audiat, si nuptiae in alium diem differri non possint, si ministrandum sit Viaticum, si sepeliendus mortuus; nec inveniatur alius sacerdos quam qui missam modo celebravit. Cfr. Busemb. apud S. Lig. *l. c. n.* 35 et *Examen Ordin. n.* 127. Sed nimis indulgenter ejusmodi necessitates excogitatas ait B. XIV Const. *Declarasti,* easdemque in Tract. *De Sacrif. Miss. l.* 3. *c.* 5. *n.* 3. adductis argumentis repudiat. Vide etiam Const. *Quod expensis* versus finem.

Unanimi autem consensu Doctores eam incidere necessitatem autumant, cum die festo secunda a sacerdote missa postulatur, ut populus praecepto Ecclesiae satisfacere possit, nec sit alius sacerdos, qui eam celebret. Unum hunc necessitatis casum, nec praeterea quemquam Benedictus XIV *l. c.* approbat, unoque hoc casu contineri videtur necessitas, qua exstante Episcopus valeat licentiam iterandi sacrificium concedere, quique acceperunt eadem uti; vult enim S. Sedes, ut Episcopi hac in

in re sequantur doctrinam Benedicti XIV. Nam S. C. C. die 22 Febr. 1862 decrevit, Episcopum dare posse licentiam, ut sacerdos bis sacrificium offerat, »quatenus in unoquoque casu concurrant circumstantiae necessitatis ad formam Constitutionis Benedictinae et Declarationis S. Congregationis diei 14 Octobris 1843 relatae in Cameracen. Missae pro populo 25 Sept. 1858". Quae declaratio haec habet: .. »placuit eidem Sanctitati Suae, eadem et tibi dare responsa, quae ad alios quoque Antistites, per hanc Sacram Congregationem Concilii transmissa sunt. Ordinariorum scilicet esse de re cognoscere et perpendere, num revera necessitas urgeat, ut sacerdos duas Missas celebrare cogatur, nec aliter utendum concessa hac iteratione, quam juxta conditiones ab ipsis apponendas, habita locorum, populorum, et paucitatis sacerdotum, ac proinde verae necessitatis ratione, de qua legatur Benedicti XIV Constitutio *Declarasti* ad Episcopum Oscensem anni 1746 et in ejus opere *De sacrificio Missae l.* 3. *c.* 5 et 6." V. *Acta vol.* 1 *p.* 10.

175. Duplex itaque circumstantia est, ex qua legitima necessitas oritur, ut idem sacerdos, habita Episcopi licentia, bis in die offerat. Prima, populus die festiva indigeat sacrificio adimplendae legis causa; secunda, non sit in promptu alius sacerdos, qui missam celebret. Brevius: concurrant indigentia populi et sacerdotis absentia.

176. *Indigentia* populi incidere dicitur, cum in festis de praecepto (aliis diebus, sunto festi reducti, non incurrit necessitas) omnes parochiani ad unam missam non possunt simul convenire; quod evenit cum parochus duabus praeest ecclesiis, populus autem ratione distantiae aut difficultatis viarum non potest uni eidemque sacrificio interesse; item cum una tantum est ecclesia, ad quam

insimul universus populus convenire nequit, eo quod in diversis locus habitat, distantibus ab ecclesia et remotis (B. XIV Const. *Declarasti*); idem contingere videtur, cum una ecclesia universum populum capere non potest; idemque generalis normae instar accidere dicatur, quoties ex aliqua causa, Episcopo probata, omnes simul parochiani eadem hora uni eidemque sacrificio nequeunt adesse; nam S. C. C. die 14 Oct. 1843 in dicta causa Cameracen ad dubium III »An vicarii, aut alii sacerdotes curam animarum non habentes, si quando bis in die celebrant, ut fit quandoque, seu ut numero sufficienti Missae in Ecclesia Parochiali celebrentur, seu ut Hospitalia, Carceres, Sanctimonialium Conventus, Missa non careant, secundam et ipsi Missam pro populo gratis applicare teneantur", Sacra Congr. respondit simpliciter: »Ad III. Negative quatenus curam animarum non habeant, firma semper prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda Missa." Jubens itaque in propositis casibus de missarum dumtaxat applicatione et acceptione stipendii, satis indicare mihi videtur, permitti Episcoporum judicio, ut illis in adjunctis iterari faciant ab eodem sacerdote sacrificium, idque eo firmius autumaverim, quoniam in resolutione ad Dub. V interrogata de concedendo iis in casibus sacerdoti stipendio, simpliciter remittit ad resolutionem III decernendo: »Ad V, provisum in tertio."

Quod attinet ad numerum personarum, quae aliter missa careant, advertatur, mentionem in dicta resolutione esse de hospitalibus, carceribus, conventibus, et in alio ejusdem S. C. decreto, in Lingonen. 12 Januarii 1847, declarari, concedendam esse iterationem missae in gratiam viginti circiter personarum (V. Acta, vol. 1. p. 9). Porro ex Benedicti XIV doctrina superius adducta constare novimus, necessitatis unius alteriusve personae,

licet regis, principis, episcopi, rationem non esse habendam.

177. *Absentia sacerdotis*, qui missam populo necessariam celebrare valeat. Haec secunda circumstantia cum abest, nefas Episcopo est facultatem, de qua diximus, concedere, nefas sacerdotibus eadem uti; namque deest sane necessitas, quam ecclesiasticae leges postulant. Quocirca jubetur in Const. *Declarasti* quod Episcopus debeat »..nec ullo modo perferre, ut sacrificium iterent Parochi, quibus non deest alius sacerdos, qui diebus festis populo ministret." Quod autem Episcopi officium sit, si sacerdos ille celebrare renuat, in eadem Constitutione declaratur: »Episcopus adigere potest sacerdotem, ut populo sacrum faciat diebus festis.. Id ex Tridentino Concilio desumitur *sess.* 23. *c.* 14 *de ref.*, ubi haec leguntur: Curet autem Episcopus, ut ii saltem diebus Dominicis, et festis solemnibus etc Missas celebrent: siquidem illud verbum *curet* praeceptum inferre in hac gravissima causa, non est dubitandum."

178. Nequit autem parochus, cum alius sacerdos praesto est, secundam, de qua dicimus, missam offerre, hac nixus ratione, quia consuetudo id habet, vel, quia duabus cum praesit parochiis, pse debet vi muneris sui bis pro grege Missam applicare, ipseque fidei mysteria exponere populo. Etenim missae iterationem prohibitam nihilominus esse, in dicta Constitutione *Declarasti* ad singulas istas rationes respondet Pontifex. De causa consuetudinis longiori sermone disserens, minime posse, ait, sacerdotes ipsa vel immemorabili consuetudine hujusmodi consequi facultatem; hanc enim in iis rebus non valere, quae cum postulantur a Sancta Sede, negari omnino consueverunt. De populi instructione notat, eam fieri posse in una ecclesia ejusdem sacerdotis ministerio, qui ad sacrum conficiendum inducitur..

179. Duo S. C. Rituum decreta de calicis usu, repetitis sacrificiis peculiaria sunt. Decretum diei 16 Sept. 1815 in causa Elusitana mandat, ut unum dumtaxat calicem adhibeat sacerdos, et »in prima missa illum impurificatum relinquat, prout fit in duabus pricribus missis Nativitatis Domini." Alterum diei 11 Martii 1858 in causa Plurium Dioecesium permittit, ut, qui in duabus dissitis ecclesiis sacrificia celebrat, duobus calicibus utatur, simulque docet quid circa purificationem primi calicis servandum sit, scilicet: »Quando Sacerdos eadem die duas Missas dissitis in locis celebrare debet, in prima dum Divinum Sanguinem sumit, eum diligentissime sorbeat. Exinde super Corporali ponat Calicem et palla tegat, ac junctis manibus in medio Altari dicat: *Quod ore sumpsimus* et subinde admoto aquae vasculo digitos lavet dicens: *Corpus tuum* et abstergat. Hisce peractis Calicem super Corporali manentem adhuc, deducta palla, cooperiet ceu moris est, scilicet primum purificatorio linteo, deinde patena ac palla, et demum velo. Post haec Missam prosequatur, et completo ultimo Evangelio, rursus stet in medio Altaris, et detecto Calice inspiciat an aliquid Divini Sanguinis necne ad imum se receperit, quod plerumque contingit... Si itaque Divini Sanguinis gutta quaedam supersit adhuc, ea rursus ac diligenter sorbeatur et quidem ex eadem parte, qua ille primum est sumptus...

Postmodum Sacerdos in ipsum Calicem tantum saltem aquae fundat quantum prius vini posuerat, eamque circumactam, ex eadem parte, qua Sacrum Sanguinem biberat, in paratum vas demittat. Calicem subinde ipsum purificatorio linteo abstergat, ac demum cooperiat, uti alias fit, atque ab Altari decedat.

Depositis sacris Vestibus et gratiarum actione completa, aqua e calice dimissa pro rerum adjunctis vel ad diem

crastinum servetur (si nempe eo rursus Sacerdos redeat Missam habiturus) et in servanda purificatione in calicem dimittatur; vel gossipio aut stupa absorta comburatur; vel in sacrario, si sit, exsiccanda relinquatur, vel demittatur in piscinam.

Quum autem Calix, quo Sacerdos primum est usus purificatus jam sit, si illo ipso pro Missa altera indigeat, eum secum deferat: secus vero in altera Missa diverso Calice uti poterit.

.... Sanctitas sua resolutionem S. Congregationis cum adnexa Instructione approbare dignata est."

§ III.

Stipendium pro secunda Missa.

180. Quum sublatum fuerit iteratum sacrificium, ut avaritiae quaestibus ex repetita missa, et obloquentium suspicionibus, obviam iretur, quisque sapiens sponte suspicabitur, Apostolicam Sedem haud permissuram facile, ut cui bis sacrificare in necessitate conceditur, is pro iteratione seu secunda missa stipendium accipiat. Et haec est profecto S. Sedis voluntas, constitutaque per eam lex, ut illaeso jure ad eleemosynam primae missae, pro secunda stipendium minime acceptetur, nisi ipse indulserit Romanus Pontifex. Dicimus *illaeso jure ad eleemosynam primae missae*, quo nempe sacerdos, cujus officium non est applicandi populo sacrificium, pro prima missa eleemosynam percipere valet, curatus autem, die dominico et festo celebrans, non valet. Hisce positis, ad ea exponenda et demonstranda, quae diximus, quaestionem tractabimus unam de curato bis celebrante, alteram de aliis sacerdotibus bis offerentibus; propterque rerum af-

finitatem, tertiam de facultate acceptandi remunerationem, quartam de erogando stipendio sacerdotibus, qui inducuntur, ut missam pro populi indigentia die festo celebrent; ultimam de tribus stipendiis in Nativitate Domini.

181. I. Cum sacerdos, qui ratione officii sacrificare pro populo tenetur, die dominico aut festo sacrificium legitime iterat, potestne stipendium accipere?

R. 1. Si sacerdos iste duabus praeest parochialibus ecclesiis non unitis extinctive, et in utraque celebrat, debet utrumque sacrificium non accepto stipendio pro ovibus suis offerre: »I. An parochus, qui duas parochias regit, et ideo bis in die celebrat, utrique parochiae suam missam applicare tenetur, non obstante reddituum exiguitate?" Ita interrogata S. C. C. in Camerac. 25 Sept. 1858 respondit: »Ad I affirmative." Huc spectat alia resolutio in causa Lucen., quam supra invenies sub n. 21.

R. 2. Caeteri curati unam (primam) missam applicare pro populo, nulla accepta eleemosyna, debent; quod ex ante dictis constat. Alteram, cui voluerint, applicare possunt; sed stipendium pro ea accipere itidem prohibentur: »II. An parochus, qui in una eademque parochia bis eadem die celebrat, utramque missam populo sibi commisso gratis applicare omnino tenetur?" »Ad II negative, firma prohibitione accipiendi eleemosynam pro secunda missa." Causa Cameracen. dicta. Sed ecce aliam declarationem summi momenti: »Illustrissime ac Revme Domine. A Sacra Congregatione Christiano Nomini Propagando non semel per sacrorum Antistites in locis Missionum degentes quaesitum est, an duplex stipendium percipere liceat sacerdotibus, qui duas in eadem die missas celebrare justis de causis permittuntur. Ut igitur in ejusmodi re omnis dubitationi locus a Missionibus auferatur, visum est expedire eam promulgare regulam,

quam constanter tenuit Sacra Congregatio Eminentissimorum Patrum Concilii Tridentini Interpretum; videlicet ex praxi generali presbyteris non concedi eleemosynam recipere pro secunda missa, etiamsi de illis agatur, qui parochiali munere instructi ideo stipendium pro prima missa nequeunt obtinere, quod eam *pro populo* applicare teneantur. Porro hujusmodi regula recentem obtinuit confirmationem a SSmo D. N. Pio PP. IX in una Cameracensi die 25 Septembris 1858. Etsi vero Sacri Consilii mens ea sit, ut norma praedicta omnibus locorum Ordinariis innotescat, ac generatim servetur in praxi, quo videlicet a ministerio sacerdotali quodlibet periculum aut species simoniae turpisve quaestus arceatur; cum tamen specialia sint in nonnullis Missionibus rerum ac personarum adjuncta, cumque difficultates non paucae oriri possent si regula de qua agitur nullam omnino exceptionem pateretur; SSmus D. N. Papa benigne decernere dignatus est, ut Ordinariis Missionum facultas impertiatur, quemadmodum per praesentes litteras eisdem tribuitur indulgendi ut, justa et gravi causa intercedente, sacerdotes sibi subditi etiam pro secunda missa in eadem die celebranda stipendium percipere possint ac valeant. Haec jussu Sanctitatis Suae significanda Tibi erant... Datum Romae ex Aedibus S. C. de Prop. Fide die 15 Octobris 1863."

(Sign.) Al. C. Barnabo, *Praef.*
H. Capalti, *Secret.*

Docemur hac Instructione, inhiberi sacerdotibus, qui parochiali munere instructi sunt, quominus eleemosynam percipiant pro prima missa, siquidem pro populo eamdem applicare debeant, item pro secunda, quoniam pro missa, quae iterari permittitur, Sancta Sedes non sinit

accipi stipendium. Hic vero mentem subit cogitatio, fasne sit sacerdoti, qui dispensatione Pontificia aut Episcopali (V. supra *n.* 17 et 26.) liber est ab obligatione die festo applicandi pro grege, ut eleemosynam accipiat pro prima missa. Non dubito id fas esse, nam liberatio a lege applicandi ovibus sacrificium sponte sua tribuit facultatem celebrandi pro eleemosyna; eamdemque facultatem in casu dispensationis ob inopiam expresse supponit et tribuit Pontifex B. XIV in Const. *Cum semper oblatas* § 8. V. superius *n.* 26. — Facultas, qua Ordinarii Missionum donantur, si recte intelligo, in hoc consistit, ut valeant, cum justa et gravis causa intercedit, sacerdotibus, non praefectis parochiae, permittere stipendium pro secunda etiam missa, sacerdotibus vero, qui parochiae praesunt, pro secunda missa tantum; non eximuntur hi, aut eximi permittuntur ab onere celebrandi diebus dominicis et festis pro populo. Pone autem casum, datam curato esse dispensationem apostolicam, qua certis diebus festis non teneatur pro grege applicare, ita ut istius oneris loco celebrare valeat accepta eleemosyna; pone insimul, potiri hujusmodi curatum facultate bis celebrandi festivis diebus. Potestne huic permitti ab Ordinario Missionis, ut pro secunda etiam missa stipendium accipiat? Si, non obstante consecutione primi stipendii, justam esse gravemque causam, ut permittatur secunda quoque eleemosyna, Ordinarius Missionis putaverit, dederitque facultatem, non mihi excessisse potestatis suae limites videtur.

182. II. Alius sacerdos, puta sacellanus, si facultatem bis offerendi habeat, fasne illi est, duas aut unam saltem eleemosynam recipere?

Duas recipere nefas est, unam pro prima licet. Id perspicuum est ex Epistola proposita Cardinalis Praefecti

S. C. de P. F. itemque ex S. C. C. responso ad dubium III causae Cameracensis. Dubium erat: »III. An Vicarii aut alii Sacerdotes curam animarum non habentes, si quando bis in die celebrant, ut fit quandoque, seu ut numero sufficienti Missae in Ecclesia Parochiali celebrentur, seu ut Hospitalia, Carceres, Sanctimonialium Conventus Missa non careant, secundam et ipsi Missam pro populo gratis applicare teneantur." Responsum est: »Ad III negative, quatenus curam animarum non habeant, firma semper prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda missa." Facile quisque perceperit, decerni hic, quoad eos qui curam animarum non habent, minime obligari ut applicent sacrificia pro populo; obligari autem ut pro secunda missa stipendium non acceptent.

183. III. Si quid Parochis offertur in remunerationem aut celebrationis secundae Missae, aut itineris ad secundam dissitam ecclesiam, aut instructionis Christianae, nonne praemium istud laboris licite accepturi sunt?

R. 1. Si quid in remunerationem celebrationis secundae missae accipiant, nisi S. Sedes id permiserit, illicite fecisse videntur, contraque Ecclesiae legem; haec enim vult, ne sacerdotes: — »eleemosynam vel stipendium a quovis et *sub quocumque praetextu pro* ea [secunda] Missa percipiant." V. Declarationem in causa Cameracen. Lucidi *l. c. vol.* 3. *p.* 288. *Acta S. Sedis vol.* 1. *p.* 10. 11. Verba, *sub quocumque praetextu*, plus quam solam applicationem involvant; voces autem, »*pro* secunda missa", eliminant, me quidem judice, eleemosynam tum applicationis, tum celebrationis causa oblatam. Quorsum vero talia S. Sedis verba in re, in qua versamur, spectent, ex B. XIV Constitutione *Quod expensis* praeclara ratione docemur. Et ipse ibidem *pro missa*, quam iterari indulget, ullam eleemosynam *quocumque praetextu* aut colore

accipi vetat, pluribusque suam legem illustrans exemplis, memoratam *pro celebratione* eleemosynam recensere non omittit: »Decernentes nullam omnino causam, nullumque praetextum, aut obtentum, ad declinandam hujus praecepti nostri observantiam suffragari posse; ne voluntariam quidem fidelium oblationem, nam nec a sponte dantibus quidquam recipi posse statuimus; nec alium quemcumque colorem, quod nempe eleemosyna detur pro celebratione, non autem pro applicatione missae; aut quod applicatio facienda sit pro omnibus fidelibus defunctis; sive quod offerentes cupiant ipso dumtaxat oblationis merito defunctos juvare; hi enim poterunt per alia pia opera, sive per alias eleemosynas in alios quoscumque quam in sacerdotem, eique conjunctos, erogandas, defunctorum animabus suffragari: Non item gravem indigentiam, aut paupertatem sacerdotis celebrantis, aut Ecclesiae aut Coenobii; quibus nimirum aliis quibuscumque rationibus subveniendum erit: Nec magnam copiam eleemosynarum, quae congestae fuerint pro missis celebrandis ipsa die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, quibusque aliter satisfieri non possit;... Neque porro missarum onera non adimpleta, pro quibus eleemosynae jam receptae, aut attributi redditus jam percepti fuerint; Nos enim nolumus hujusmodi onera impleri per celebrationem Missarum, quae indulto nostro permittuntur: Neque demum legem fundationis jam factae, aut imposterum faciendae cum augmento eleemosynae pro secunda et tertia Missa; quum nos hujusmodi fundationes sive factas, sive faciendas, etiam ex nunc prout ex tunc, et e contra, hac in parte nullas et irritas esse, et fore decernamus."

R. 2. Si itineris ad dissitam ecclesiam, et instructionis Christianae gratia, quid, approbante Ordinario, accipiant, nihil reprehendendum videtur. Etenim praemium istud

non consequuntur *pro missa;* quodque summa ratio est, Sacra Congreg. Concilii in causa Treviren. *Eleemosyn. Miss.* 23 Martii 1861 interrogata: »Utrum Parochi, qui pro necessitate circumstantiarum diebus Dominicis et Festis, sive in ecclesia parochiali sive filiali dissita, bis celebrent, tradita simul doctrina christiana, pro peculiari labore et industria certum salarium a parochianis oblatum percipere valeant", rescripsit: »Posse permitti, prudente arbitrio Episcopi, remunerationem intuitu laboris et incommodi, exclusa qualibet eleemosyna pro applicatione Missae."

184. IV. Potestne sacerdos, qui ad missam, qua populus indiget, celebrandam inducitur, eleemosynam expetere; et: quis eamdem solvere debet?

R. Potest sacerdos ille eleemosynam petere solvendam a parocho, nisi hic prae inopia eam erogare non valet; solvenda tunc a populo est; si neque populus id onus sustinere potest, Episcopus istud ferre debebit. Quod manifeste est in Constitutione *Declarasti nobis.* Expendendum »primo, ait Pontifex, an revera Parochi tanta premantur egestate, ut alteri sacerdoti stipendium Missae nequeant suppeditare; si enim inopia adeo magna non sit, Episcopali auctoritate, juxta Caput quartum Concilii Tridentini *sess.* 21. *de Ref.*, adigi poterunt, ut sacerdoti Missam celebraturo eleemosynam elargiantur, uti sapienter admonet Engel *ad tit. Decretalium. de celebratione Missarum num.* 3. Secundo, si Parochis tenues omnino angustique proventus obveniant, videndum an populus etiam in eadem paupertate versetur: quemadmodum enim Episcopus adigere potest Sacerdotem, ut populo Sacrum faciat diebus festis, ita etiam potest indicere populo, ut celebranti sacerdoti consuetum stipendium elargiatur. Id etiam ex Tridentino Concilio

desumitur *sess.* 23. *c.* 14. *de Ref.*, ubi haec leguntur: *Curet autem Episcopus, ut ii saltem diebus Dominicis et Festis solemnibus etc Missas celebrent.*. Quod si res ita se haberet, tunc, Ven. Frater, ex iis eleemosynis, quas ipse egenis elargiri large consuevisti, stipendium pro re Divina facienda sacerdotibus erogare deberes."

185. V. Fasne est in festo Nativitatis Dominicae tres a sacerdote (non curato) recipi, pro trina applicatione, eleemosynas?

R. Pertinet trina haec celebratio ad priscum morem, quo certis in adjunctis, certisque diebus festis, sacerdos bis pluriesque eadem die sacrificium offerre poterat, nec plus uno stipendio percipere prohibebatur. Abolevit Ecclesia iteratum sacrificium, relicta pristina venia celebrandi ter in festo Nativitatis Domini. Huic observationi cum addimus, nulla adhuc lege, quod sciam, vetari duplex vel triplex eo die stipendium, sponte impellimur, ut fas esse putemus, vi pristini moris recipere dicta festiva die triplex stipendium. Sed ipsa etiam generalis in hac re consuetudo immemorabilis, non reprobata a S. Sede, cohonestare satis consecutionem triplicis eleemosynae videtur. De quo audire juvat Pontificem B. XIV in Const. *Quod expensis* hunc in modum scribentem: facile se credere ait, — usitatum fuisse in Aragoniae regno, ut sacerdotes hactenus pro duabus et tribus missis in Commemoratione animarum duplex et triplex reciperent stipendium, »quum ubique fere receptum sit, ut in solemnitate Nativitatis Domini pro tribus Missis tria recipiantur charitativa stipendia. Ideoque (sic concludit Pontifex) de illis, qui ante hoc tempus in Aragoniae Regno duas vel tres eleemosynas accipiebant, nihil innovandum censemus." Verbum *ideoque* spectat usum ubique fere receptum, mihique ingerit cogitationem, to-

lerare quoque Romanos Pontifices eamdem illam ob causam, antiquissimae scilicet consuetudinis gratia, ut praedicto festo triplex eleemosyna percipiatur.

CAPUT VI.

DE CONSECRATIONE ECCLESIAE VEL ALTARIS.

§ I.

Ecclesiae et Altaris consecratio. Ecclesiae benedictio.

186. *Consecrationis atque benedictionis finis et praeceptum.* Ex institutis Veteris Testamenti in christiana sacra consecrationis ritus translatus est, ipsisque prioribus aevi christiani saeculis, maxime post redditam a Constantino Ecclesiae pacem, procul dubio in usu fuit. Addidit Ecclesia legem, ut sacerdotes, cum copia esset, semper in templis locisque Deo consecratis missam celebrent. Cujus legis vestigium et mentio est in *Can. Missarum. De Consecr. dist. I:* »Missarum solemnia non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit, celebranda esse censemus." Hodiedum lex generatim praecipit, celebrari posse missam in templis dumtaxat aut ab Episcopo consecratis, aut ejus venia benedictis a presbytero. Sed de hoc sequenti capite pluribus. Nunc ad propositam consecrationem et benedictionem.

»Consecrationes adhibentur his rebus, quae veniunt in

usum hujus Sacramenti [Eucharistiae], tum propter sacramenti reverentiam, tum ad repraesentandum effectum sanctitatis, quae ex passione Christi provenit, secundum illud Hebr. ult. 12. *Jesus ut sanctificaret per suum sanguinem populum*, etc." (S. Th. *p.* 3. *q.* 83. *art.* 3.) Quapropter summae reverentiae causa SSmo Sacrificio et Eucharistiae Sacramento debitae, factum est, ut solemni ritu, precibus, aliisque ab Ecclesia praescriptis actionibus templa consecrari vel benedici, Deo et Domino Nostro Jesu Christo dedicari, leges sacrae jusserint.

187. »Altare, super quo Missae Sacrificium sit peragendum, lapideum esse oportet, et ab Episcopo consecratum; et si quidem non sit ex lapide, Sacra Petra saltem instrui debet, quam Episcopus consecraverit; eaque tanta sit magnitudine, quae Hostiam et majorem Calicis partem capiat. Tectum Altare sit ternis linteis mundis, benedictis ab Episcopo, vel quovis alio, cui potestas sit ea benedicendi. Longum esse oportet superius linteum utrinque ad terram usque demissum; reliqua duo breviora; quin unum tantummodo linteum satis esse potest, si tamen duplicetur." B. XIV. *De Sacrif. M. l.* 1. *c.* 2. *n.* 1. »In Orientali Ecclesia nullus Petrae sacrae est usus; nam si in Altari non consecrato Missa sit celebranda, pannos quosdam adhibent sacerdotes eodem ritu, quo consecrantur Altaria, consecratos, quos vocant *Antimensia*, ut videre est apud Card. Bona *Rer. Liturgic. lib.* 1. *cap.* 20." *l. c. n.* 10.

188. *Effectus.* Exorcismorum precibus, quae in consecratione fiunt, imploratur Dei Omnipotentis misericordia, ut daemonem fugare, omnemque diabolicae potestatis nequitiam expellere dignetur, ut Spiritum vero Sanctum in ecclesiam infundat, et Angelum lucis ejus constituat protectorem. Toto consecrationis ritu spiritualis quae-

dam virtus confertur, »per quam templa apta redduntur divino cultui, ut scilicet homines devotionem quamdam exinde percipiant, ut sint paratiores ad divina, nisi hoc per irreverentiam impediatur. Unde et 2 Machab. 3, 38, dicitur: *vere Dei virtus quaedam est in loco; nam ipse, qui habet in coelis habitationem, visitator et adjutor est loci illius.*" S. Th. *l. c. ad* 3.

Pariter benedictionis precibus et actionibus divina invocatur Clementia, ut locum visitet, angelus pacis introeat, daemon fugetur, et ab omnibus ibi nomen Domini invocantibus auxilium misericordiae sentiatur.

Dedicatione igitur templum fit locus offerendo sacrificio et distribuendis divinis mysteriis aptus, Altissimique tabernaculum, domus orationis, schola veritatis, justitiae et pacis.

189. *Significatio.* Per templum significatur Catholica Ecclesia, quam sanguine suo acquisivit et sanctificavit Dominus, et quacum se futurum esse ad consummationem saeculi pollicitus est. Significantur insuper fideles, quos gratia sua Deus sanctificat, quos sibi Dominus in habitaculum, et Spiritus Sanctus in templum elegit. Significatur praeterea Hierosolyma coelestis, locus omnis sanctitatis atque dulcedinis, ubi in gratia confirmati semper cum Domino erimus. Sicque efficitur, ut consecratio templi signum mysticum sit sanctificationis, quam per passionem suam Christus Ecclesiae contulit; repraesentatio sanctitatis, quae in fidelibus requiritur, nominatim in his, qui divinam Eucharistiam suscipere debent (V. S. Th. *l. c. ad* 2); atque repraesentatio coelestis justitiae et voluptatis, quae in aeternis tabernaculis nos manent.

Quoniam templum dedicatur Christo, ideo ad hoc significandum pingitur signum ejus, id est, crux. Pinguntur autem cruces numero XII, ita inter se distantes,

ut totum templum occupent, et, ad singulas, lampades singulae accenduntur, ad significandum, quod Apostoli XII hoc vexillum Christi per totum orbem terrarum portaverunt, et sua praedicatione universum illustrarunt mundum. Bellarm. *De cultu Sanctorum, cap. V.*

190. »Per Altare significatur ipse Christus, de quo dicit Apostolus Hebr. ult. 15: *Per ipsum offerimus hostiam laudis Deo.* Unde et consecratio Altaris significat sanctitatem Christi; de qua dicitur Luc. 1: 35: *Quod ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.*" (S. Th. *l. c. ad* 2.) »Altare quidem Sanctae Ecclesiae est Christus, teste Joanne, qui in Apocalypsi sua Altare aureum se vidisse perhibet stans ante Thronum: in quo et per quem oblationes Fidelium Deo Patri consecrantur." Pont. Rom.

»Quod [ara debet esse lapidea] competit significationi hujus sacramenti, tum quia altare significat Christum: dicitur autem I Cor. 10. 3: *Petra autem erat Christus;* tum etiam quia Corpus Christi in sepulcro lapideo fuit reconditum. Competit etiam quoad usum Sacramenti. Lapis enim et solidus est, et de facili potest inveniri ubique." S. Th. *l. c. ad* 5.

191. *Consecrationis et benedictionis discrimen.* Benedictio simplex et consecratio templorum differunt in hoc, quod prima minori solemnitate peragitur quam secunda; simplex enim benedictio fit simplicioribus ritibus, solis verbis et aquae lustralis aspersione. Consecratio autem fit insuper unctione ex sacro oleo et chrismate, a quibus nobilius significatur excellentia Divinae Majestatis, cui templum dedicatur. Prima a quolibet sacerdote ministrari potest, habita tamen facultate ab Episcopo; secunda ad Ministrum majoris dignitatis pertinet, nempe ad solum Episcopum. Cavalieri *p.* 1. *c.* 1. *n.* 17. Hisce aliud dis-

crimen additur a Sylvestro, Suarezio, Layman, Passerino, benedictionem videlicet inhaerere solo, consecrationem adhaerere parietibus; de quo inferius plura.

192. *Loca, quae consecrantur et benedicuntur.* Consecrari, adhibito ritu Pontificalis Romani, debent ecclesiae. Designantur ecclesiae nomine saltem »templa cathedralia, parochialia, collegiata [capitulorum collegialium], conventualia" [regularium]. Devoti *l.* 2. *tit.* 7. § 5. Possunt istae benedici etiam, servatis caeremoniis Ritualis Romani, sed ad tempus tantum: »Ecclesia.. quamvis.. sit benedicta, ab Episcopo tamen consecranda est." Rit. Rom. *Ritus bened. novam ecclesiam*, in fine.

Consecrari vel benedici debent Oratoria publica, ritibus indicatis ex Pontificali vel Rituali Rom. Sufficit hodierno jure ut benedicantur; nam Rituale Rom. postquam ex ordine tradidit preces et caeremonias pro benedictione tum ecclesiae tum oratorii publici, ecclesias consecrandas esse tantummodo jubet. Idem id habet Catalanus ad *Rit. Rom. tit.* 8. *c.* 19. *n.* 10, docens scilicet, majores ecclesias Pontificali consecratione indigere, minores vero sive oratoria publica sacerdotali dumtaxat benedictione, in Rituali pro publicis oratoriis praescripta. Id ipsum dicatur de oratoriis domesticis in domibus publicis, de quibus *seq. cap.*

Oratoria in domibus privatis nec consecrari, nec ritu designato benedici possunt (S. R. C. in Civitaten ad 10. diei 13 Aprilis 1720. *n.* 4565); attamen iis benedici adhibita benedictione domus vel loci, descripta in Missali et Rit. Romano, disciplina canonica permittit. Potest haec benedictio privatim fieri a quolibet sacerdote et quocumque tempore. V. Gardellini in nota vol. 3. p. 152.

193. *Consecrationis et benedictionis minister.* Romano Pontifici auctoritas est consecrandi jure proprio ecclesias quacumque in Dioecesi constitutas, ipso quoque irre-

quisito Dioecesano Episcopo; nam, ut scribit S. Bernardus: »Pontifici universi sunt crediti, nec modo ovium, sed et Pastorum est omnium Pastor" *lib. 2. Consid. ad Eug. c.* 8. Ex quo consequitur, ut possit alteri etiam consecrationem suo nomine peragendam delegare, utque absoluta, ea ratione, consecratio dici possit ab ipso Pontifice peracta, eidemque tribuenda sit ex juris regula, *qui per alium facit, per se ipsum facere videtur.* Utraque facultate Romani Pontifices nonnumquam usi sunt, uti legere est in Epist. B. XIV *Jam inde* § 28. diei 12 Maii 1756.

Ex privativis juribus Romani Pontificis quondam fuit, ecclesias inaugurare; adeo ut quicumque dicare eas cupiebat, deberet opportunam ab eo petere et obtinere facultatem. *Can. 4 et 5. De Consecr. dist. I.* Erant tamen iis temporibus Provinciae ecclesiasticae, in quibus suffraganei a suo metropolita facultatem eam exquirebant. B. XIV *l. c.* § 25. Sed pluribus ab hinc saeculis, ob insigniter adauctum ecclesiarum numerum, invectum est, ut quilibet Episcopus nulla praeobtenta Apostolica facultate, sitas in Dioecesi sua ecclesias solemni dedicatione consecret. Cui facultati accessit aliquando juris disciplina, nunc dudum abolita, ut templum, a quopiam loci non Ordinario sacratum, evaderet obnoxium auctoritati et jurisdictioni Episcopi consecrantis, nisi is suo juri cessisset. B. XIV *l. c.* § 6.

194. Quapropter minister consecrationis Episcopus est. Vi episcopalis ordinis valide templa consecrat, modo praescripto ritu ecclesiastico utatur (B. XIV. *l. c.* § 5 et Ep. *Ex tuis* § 8. diei 16 Nov. 1748), sive haereticus sit, sive schismaticus, sive proprius dioecesis, sive alienus. Vi potestatis jurisdictionis licite consecrat templa in propria dioecesi existentia; in aliena licite agit ex delegatione Romani Pontificis, aut proprii dioecesis Epi-

scopi, nefas enim est extraneo Antistiti, sine Romani Pontificis aut Ordinarii licentia, in aliena dioecesi Pontificalia exercere. Trid. Conc. *s.* 6. *c.* 5. *de ref.*

Potest Episcopus consecrator et alios Episcopos comministros sibi assumere, inter quos sacrum ministerium sic dividitur, ut quod quisque inungit, idem illud benedicat. B. XIV Ep. *Peracta a nobis* § 4, 12, diei 16 Nov. 1748. Cujus rei plura exempla loco citato proponuntur. Unum nobis eligere placet. In consecratione Basilicae Vaticanae Pontifex Urbanus VIII porticus ecclesiae benedictionem exorsus, sex Cardinalibus Episcopis demandavit, ut extimos templi parietes circumirent, ac illis benediceret; pari modo interioris templi unam partem ipse Pontifex dicandam suscepit, aliam vero sex iisdem Cardinalibus perficiendam reliquit; quod in ea, quae cuique obtigit, molis parte peractum est. § 8.

Consecratio inchoata si non perficitur, v. g. quia ob morbum Episcopus deficit, continuari ab alio Episcopo potest, modo longa non intcreesserit temporis interruptio; non possent enim tunc duae partes consecrationis in unam et integram coalescere consecrationem. V. B. XIV. Ep. *Peracta a nobis* § 17. Sed aliter sentit Gardellini, quandoquidem inchoari vult a principio consecrationem, si ab Episcopo, qui defecit, non fuerint omnes cruces inunctae; atque in eo ipso positam esse dicit rationem, qua permota fuit S. C. R. ut in causa Ulysbonen. inchoatae et non perfectae consecrationis, censuerit, consecrationem a principio inchoandam et continuandam esse usque in finem. In quo tamen ipsi non congruit Pontifex Benedictus, qui, Sacram Congregationem, istud censuisse in proposita causa, narrat »non quia timuerint [Patres], multiplicitatem Ministri obfuturam valori consecrationis, sed quia in casu proposito notabilissima intercedebat temporis

interruptio; erat enim expectanda Congregationis responsio, quae non nisi post aliquot menses ad Archiepiscopum Ulysipponen. poterat pervenire." *l. c.*

195. Simplex sacerdos templa valide non consecrat, nec designari ad id muneris potest, nisi solius Romani Pontificis auctoritate, in cujus potestatis plenitudine continetur, ut possit »quaedam, quae sunt superiorum Ordinum, committere quibusdam inferioribus." S. Th. *p.* 3. *q.* 72. *a*, 11. *ad primum.* Sacerdotalis nempe ordinis potestas licet plena sit, integra atque absoluta in Baptismi et Eucharistiae Sacramentis conficiendis, inops tamen, inchoata tantum atque a superioris nutu dependens est, quoad collationem confirmationis, minorum ordinum, consecrationem ecclesiarum. Hinc sequitur, ut nisi superioris competentis accesserit delegatio, mutila haec atque infirma sit sacerdotum auctoritas. Atqui solus Romanus Pontifex est competens ille superior (B. XIV. Ep. *Ex tuis.* § 8. 1); nam Sedes Apostolica id juris sibi unice reservavit. Quamvis itaque consecrare sit actus Ordinis Episcopalis, cujus validus usus a Romani Pontificis nutu non pendet, delegare tamen simplici presbytero potestatem exercendi ejusmodi actum, potius ad jurisdictionem, quam ad ordinem spectat. Episcoporum vero jurisdictio S. Sedis auctoritate et imperio limitari, atque omnino auferri potest. V. Gonzalez in cap. *Aqua*, *De cons. eccl.* Pirhing ad *lib.* 3. *Decr. tit.* 40. *c.* 3. § 1. Tamburin. *De jure Abb. t.* 1. *disp.* 23. *q.* 7.

Benedictio ecclesiae, oratorii publici et primarii lapidis, reservatur Episcopis; deleganda tamen ab iis, si libet, simplici sacerdoti, qui statutum in his ritum ecclesiasticum observare tenetur. Quilibet sacerdos privatim benedicere potest oratoria privata servato ritu benedictionis loci vel domus. V. Gardellini *vol.* 3. *p.* 152 in nota.

196. *Requisita licitae consecrationis et benedictionis.* Necesse imprimis est serventur in consecratione rubricae Pontificalis, in benedictione Ritualis Romani. Ex quibus tria praecepta breviter attingere mihi propositum est. Exigitur nempe ut ecclesia consecranda *a*) de dote provisa sit; *b*) altare majus simul consecretur; *c*) consecratio fiat cum missae sacrificio.

I. *Dos.* Praestituta sacris aedibus perpetua destinatio in promptu esse jubet media temporalia, quibus aedificii conservatio, cultus exercitium splendorque, sustentatio ministrorum decenter curetur. His ut cautum sit, sicque efficiatur, ne in religionis dedecus consecratio cedat, sumptusque ingentes, ast dolendi, in construendam fabricam inaniter forte impensi sint, canonicae sanctiones sapientissime prohibuerunt, absque dote tum aedificari tum consecrari ecclesias. »Nam non levis culpae est ista temeritas, si sine luminariis vel sine substantiali sustentatione eorum, qui ibidem servituri sunt, tamquam domus privata, consecretur ecclesia." *Can.* 1. *c.* 1. *q.* 2. Pariter Honorius III in *cap. Cum sicut. De consecr. eccl.* praecipit, ut »non sit ecclesia, nisi de dote ei provisum fuerit, consecranda." Voluntque *Canon Nemo* 9. *De consecr. Dist. I*, et Pontificale Romanum *De benedictione et impositione primarii lapidis*, ut dos constituatur antequam aedificetur ecclesia.

Par esse debet dos manutenendo fabricam et supellectilia necessaria atque decentia tam pro ornamento altaris, quam pro celebratione missae. Insuperque si templo clerici adscribendi sunt, vel rector praeficiendus est, dos comprehendat oportet, quo ministri sustentari congrue valeant.

Id cum Episcopus judicat, sintne videlicet reditus impensis necessariis pares, rationem habere potest jurium,

quibus ecclesia et ministri pollent, atque bonorum, quae in usum templi praesto sunt. Sic quippe Reiff. *l. c. n.* 5. 6. cum aliis docet: »In cognoscenda sufficientia dotis potest respectus haberi ad decimas, oblationes, et alias obventiones spirituales, Ecclesiae ministris de jure competentibus, ut bene observat Abbas in cit cap. *Cum sicut n.* 5, et sequitur Pirhing *eod. n.* 6." Addit dictus auctor: »Limitatur tamen conclusio [de necessitate dotis] in ecclesiis mendicantium, nec non in ecclesia, quae aedificatur in monasterio habente sufficientes redditus. Sylvester *l. c.* Azorius *l. c.* et Doctores in *cap. I de censibus.*"

Si quis fundator dotare ecclesiam velit, instrumentum conficitur, quo bona doti sufficientia ecclesiae tribuit; vel perpetuos reditus ex bonis assignatis donat; vel obligationem assumit suppeditandi ex bonis suis divino cultui necessaria.

Quae proposuimus de dote quantum ad aedificationem et consecrationem ecclesiae, ea intelligenda quoque sunt de aedificatione et consecratione oratorii publici, et de utriusque benedictione.

197. II. *Simultanea consecratio altaris.* Prorsus illicitum esse, ut sacra unctione dedicetur templum nisi simul ara major consecretur, satis liquide constat ex ipso ritu dedicationis, quem Episcopus consecrans observare debet. In eo enim continetur et praecipitur altaris consecratio. Aperta etiam sunt S. C. R. decreta: »2. An consecrari possit [Ecclesia] quamvis non consecretur altare majus, et an loco illius possit consecrari aliud? Ad 2. Debet cum ipsa omnino consecrari Altare majus, nam istud est principale, et si hoc tantum sit in ecclesia sufficit: alia vero accessoria, pro quibus datur consecratio distincta, sine ecclesiae consecratione." Decretum Urbis diei 19 Sept. 1665. n. 2343.

Altare istud fixum esse, seu lapis cum stipite conjungi,

unumque totum cum eo efficere debet. Ex quo perspicitur, in structura altaris fixi ecclesiae consecrandae plus exigi quam altaris fixi privilegiati. V. supra *n* 133.

In benedictione ecclesiae praesto esse aliqua ara consecrata debet, ceu patebit statim, sed non opus est altare fixum consecretur.

III. *Missae sacrificium.* »Omnes Basilicae cum Missa debent semper consecrari." *C. Omnes* 3. *De cons. d. I.* »Tunc exit Pontifex Missam celebraturus. Si vero fatigatus nimis celebrare noluerit, facit Missam solemniter per aliquem sacerdotem celebrari." Pont. Rom. *De dedicatione Ecclesiae.*

Ad benedictionem ecclesiae quod spectat, Rituale Rom. in fine ejus ritus habet: »His peractis, dicitur Missa de tempore occurrenti, vel de sancto."

198. *Ritus consecrationis.* Non est praestitutus sacris canonibus certa dies, qua consecratio peragatur: »Ecclesiarum consecratio, quamvis omni die de jure fieri possit, decentius tamen in Dominicis diebus, vel Sanctorum solemnitatibus fit." Pont. Rom. cfr. *c.* 2. *De cons. eccl.* Non transfertur dies consecrationis in numerum festorum de praecepto; etenim non adnumeratur iis diebus, qui ex Urbani VIII lege (v. supra n. 16) ceu festi sanctificandi sunt; insuperque S. C. R. in causa Mechlinien. 29 Julii 1780 (n. 4400) declaravit ad 3: »Cum ecclesia consecratur die feriali, non est a populo servanda de praecepto."

Ut autem mentibus sancte dispositis ubera adveniant dedicationis insignia bona, ordinationes ecclesiasticae praeparari eas aptis exercitiis voluerunt. Consistit haec praeparatio ex Pontificalis Romani lege in jejunio, in Reliquiarum depositione, in celebratione vigiliarum ante Reliquias, et in cantu officii divini.

De jejunio haec mandat lex: »Quando Ecclesia fuerit

dedicanda, debet Archidiaconus praenuntiare clero et populo, quibus est Ecclesia consecranda, ut priusquam consecretur jejunent. Nam Pontifex consecrans, et qui petunt sibi Ecclesiam consecrari, praecedenti die jejunare debent." Pont. Rom. *l. c.* Cum dubitaretur, de hac rubrica, utrum praeceptiva, ut aiunt, an mere directiva esset, atque propterea ex S. R. C. esset quaesitum: »1. An jejunium in Pontificali Romano praescriptum iis, quibus consecratur Ecclesia, sit strictae obligationis, seu potius tantum de consilio? 2. An sit locale tantum, an personale; seu potius locale, et personale simul?" respondit, Ad 1. »Jejunium in Pontificali Romano praescriptum esse strictae obligationis pro Episcopo consecrante et pro iis tantum, qui petunt sibi Ecclesiam consecrari; idemque jejunium indicendum esse die praecedente consecrationi ad formam rubricae Pontificalis. Ad 2. Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam." Mechlinien. 29 Julii 1780. n. 4400. Emendandus igitur Reifenstuel ad *tit. de cons. eccl.* § 1. *n.* 8, qui memoratum jejunium consilii dumtaxat et decentiae opus esse scribit. Concludere ex his in promptu videtur, jejunii hujus legi subesse consecratorem, et insuper pro indole propria ecclesiae consecrandae, vel clerum et solos parochianos, vel solum conventum, vel eos solos, qui cathedrali aut conventuali ecclesiae adscripti sunt, eamque legem, ut mihi videtur, solis dictis personis, non extraneis, tum in loco, cujus ecclesia consecranda est, tum extra eum locum, adhaerere.

De Reliquiarum depositione, de vigiliis et divino officio, Pontificale Rom. ita statuit: »Sero ante diem dedicationis, Pontifex parat Reliquias in altari consecrando includendas, ponens eas. . . ." »Celebrandaeque sunt vigiliae ante Reliquias ipsas, et canendi Nocturni, et Matutinae Laudes, in honorem Sanctorum, quorum Reliquiae sunt

recondendae." Haec praecedere consecrationem ex clara lege debent.

Ipsam consecrationem Episcopus peragit benedicendo parietes atque ungendo duodecim cruces in parietibus depictas; quae omnia descripta sunt in Pontificali Romano. Consistit autem consecratio maxime in inungendis sacro chrismate duodecim crucibus et in proferendis hisce verbis: »Sanctificetur et consecretur hoc Templum in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti" Propterea Theologi dicunt, sacrum chrisma, quo cruces inunguntur, consecrationis materiam esse; formam vero constituunt in propositis verbis: Sanctificetur etc.

Cum aedificium quodpiam ecclesiae adhaerens obstaculo est, quominus statuti circuitus foris expleantur, Episcopus eas partes circumeat, quas potest. Sic enim habet decretum S. R. C. Urbis 19 Sept. 1665. n. 2343. »1. An consecrari possit ecclesia, quae non potest circumdari tota ab extra per Episcopum? Ad 1. Potest consecrari, et circumdari per illas partes, in quibus est aditus."

Absoluta consecratione obligat officium dedicationis ecclesiae. Inchoari debet a Vesperis, seu ab ea hora, v. g. tertia, in qua expletur consecratio, atque recitari a clero ecclesiae consecratae adscripto. S. C. R. in Gratianopolitana 23 Maii 1835. n. 4742. Item singulis annis recurrente ipso consecrationis die dicendum est officium Anniversarii dedicationis; nisi S. Sedes Apostolica, aut Episcopus in actu consecrationis, alium designaverit diem. Nostris in regionibus certus dies a S. Sede praestitutus est, ut officium dicatur et festum celebretur dedicationis omnium ecclesiarum.

199. Consecratam aliquando fuisse ecclesiam concludenter probatur tum legitimis documentis, tum depictis in templo crucibus. Cruces cum deletae sunt, at testes

inveniuntur, qui se antea vidisse eas deponunt, satis constat de facta consecratione. S. R. C. in Oppiden. 19 Aug. 1634. n. 1001. Prohibet lex avelli aut deleri dictas cruces, jubetque retineri perpetuis temporibus. S. C. R. in Januen. 18 Febr. 1696. n. 3382.

§ II.

Iteranda Consecratio.

200. Deleri consecratio potest; itemque nulliter perfici; tandemque dubia esse. Haec cum eveniunt, templum denuo dicari debet ipso illo ritu, quem Pontificale Romanum pro ecclesiae consecratione definivit.

Nulla est consecratio, quam facit Episcopus haud servata forma ecclesiastica. B. XIV Epist. *Jam inde* § 5. Quam cum neglexissent Episcopi Ariani, ecclesiae ab iis consecratae iterum dicari statuerunt canones 20 et 21 *de cons. dist. I.* Nihil etiam ea consecratio valet, quam facit qui Episcopus non est, quamque propterea et ille peragit, qui nulliter Episcopus consecratus fuit. Sed valori consecrationis nequidquam nocet, Episcopum consecratorem haereticum esse, aut schismaticum, aut excommunicatum; etenim per hujusmodi delicta et poenas non tollitur susceptus ordo episcopalis, cujus potestatis actus proprius consecratio est.

Dubia hoc loco *censetur consecratio* cum jure ambigitur de facta umquam consecratione ecclesiae, eaque nec scriptura (in libro, pariete, lapide) probatur, nec testibus. Unus testis sufficit, quia licet alias vox unius sit vox nullius, haec et alia hujusmodi juris effata non procedunt in casibus, in quibus de nullius agitur praejudicio, ut communiter Doctores tradunt. Reiff. ad tit.

De cons. eccl. § 1. *n.* 10. Haud justa passim erit dubitatio, si cruces in parietibus depictae reperiuntur, si dedicationis officium fuerit mox ab aedificata ecclesia recitatum. Quod si templo cruces absunt et officium dedicationis, missae autem fuerunt ab antiquo ibi celebratae, jure supponitur templum fuisse benedictum saltem; praeterea nihil concludi potest.

Ut necessariam esse, in casu dubii, novam consecrationem ostendant, plures Doctores utuntur canone *Solemnitates* et canone *Ecclesiae de cons. d. 1.* Frustra tamen, apocryphis documentis quum annumerandi sint. V. B. XIV Epist. *Peracta* § 3. Sed genuina lex est in rescripto s. Gregorii ad Felicem Messanensem Episcopum. Sunt, ita scripserat Felix, quaedam ecclesiae in nostra provincia, super quarum consecrationibus dubitatur, et tam propter antiquitatem, quam et propter earum custodum incuriam, nescitur, utrum dedicatae ab Episcopis fuerint nec ne: super quibus omnibus nos a Vestra Sanctitate, ac Vestrae Sanctitatis auctoritate, instrui precamur." Rescribit Pontifex: »De dedicationum vero Ecclesiarum dubitatione, super qua inter caetera nos consulere voluistis, hoc vos rite tenere debetis, quod ab Antecessoribus nostris traditum accepimus; id est, ut quoties tam de baptismo aliquorum, vel confirmatione, quam de Ecclesiarum consecratione dubitatio habetur, et nec scriptis nec testibus ratio certa habetur, utrum baptisati, vel confirmati, sive Ecclesiae consecratae sint, ut baptisentur tales, ac confirmentur, atque Ecclesiae canonice dedicentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat: quoniam non monstratur iteratum quod non certis indiciis ostenditur rite peractum." B. XIV. Epist. *Jam inde* § 4. Quemadmodum autem baptismus ita et consecratio in dubio sub conditione reiteratur, ut tradunt Doctores.

Deletur consecratio per execrationem (exsacrare). Execrari ecclesiam atque deleri consecrationem unum idemque est. Id vero quandonam contingat ut recte intelligatur, duo animadvertenda sunt: unum est, parietibus, crustae potissimum, ab interiore ecclesiae parte, adhaerere consecrationem (V. Ep. *Jam inde* § 16); alterum, ex amplificatione aedis, ex parietum nova constructione, censeri aliquando non idem manere sed novum surrexisse templum. Ex quo tum efficitur, parietum sorte maxime contineri execrationem, tum sponte infertur, prostratis parietibus, avulsa parietum crusta, eversa vel decrustata majore parietum parte, adjecta antiquis grandiori mole, novam postulari consecrationem. Sed tecto corruente, collapso fornice, sublatis aris, effosso pavimento, dum parietes crustati stant, non execratum esse aedificium.

201. Quatuor execrationis casus poni solent.

I. *Ecclesiae destructio.* Quoties una cum parietibus destructum est vetus templum, novumque excitatum, palam est non consistere priscam aedem, non superesse consecrationem, novam igitur dedicationem requiri. Ep. *Jam inde* § 13. Nil juvat ex eadem materia vel iisdem ruderibus fuisse reaedificatum templum; parietes consecrati non amplius subsistunt, sejuncti plane lapides fuerunt. V. Reiff. *de cons. eccl. n.* 11.

II. *Ecclesiae combustio.* »Ecclesiis semel Deo consecratis non debet iterum consecratio adhiberi, nisi ab igne exustae fuerint. »*Can. Ecclesiis. de cons. d. I.* Id porro accipiendum ita est, quoties universa vel maxima ecclesiae pars fuerit igne absumpta; vel, licet consistant parietes, si crustae iis detractae sunt.

III. *Nova parietum constructio.* Execratur templum majore aut parietum aut crustae parte uno quasi actu dejecta. Id enim cum evenerit, major parietum pars

spoliata erit consecratione, ideoque ecclesia dicetur non consecrata juxta reg. juris 35 in 6: *Plus semper in se continet, quod est minus;* et: *major pars trahit ad se minorem. cap. un. de cons. eccl. in* 6. Quapropter vice versa, cum minor dumtaxat pars dejecta et restaurata fuerit, templum ex eisdem regulis consecratum dicetur et erit reapse. Diximus: majori parte *uno quasi actu* dejecta. »Si namque paulatim atque successive major pars, et vel tota parietum machina, destruitur et reparatur, negant nonnulli execratum templum, quum eadem semper sit Ecclesia, ad eum plane modum, quo eadem dicitur navis, quae paulatim pro opportunitate, novis restituitur tabulis, lignisque; quamvis demum nullae tabulae, nulla supersint ligna ex veteribus, quibus fuit navis primum compacta." Ex cit. Ep. *Jam inde* § 11. Hujus opinionis fundamentum s. Lig. *l. c. n.* 368 in hoc esse dicit: »quia pars accedens manet consecrata, cum majus dignum trahat ad se minus dignum." Opposita sententia placet aliis, tum quia in spiritualibus veritatem sequimur, non fictionem; tum quia sublatis antiquis parietibus, nec vetus manet amplius consecrata. Ep. cit. § 12. Secunda sententia novam exigit ecclesiae restauratae consecrationem; primae satis erit, nova pars aqua lustrali aspergatur.

IV. *Ecclesiae amplificatio.* Novi parietes si veteres amplitudine superant, pars major non consecrata trahit ad se consecratam, ecclesia dicitur non dedicata; sacrari iterum debet. Secus statuendum, si veteri parte nova minor est; sufficit aqua benedicta novos parietes lustrari. Reiff. *l. c. n.* 14.

202. Execratio, ut verbum docet, supponit consecrationem. Palam est igitur, benedictam ecclesiam non posse execrari Sed nec ipsam benedictionem tolli, cum

parietes evertuntur, incendio pereunt, crusta privantur, amplificantur, Sylvester, Suarez *l. c. d.* 81. *s.* 4 *casu* 6. Layman *De Sacr. Missae c.* 5. *n.* 15. Passerinus *de Pollut. Eccl. n.* 13, tradunt, quippe cum solo inhaerere dicant benedictionem. — Hactenus de execratione ecclesiae.

203. Execrari etiam altaria possunt, non per ipsam quidem ecclesiae execrationem, sed per aliam ipsis propriam. Videlicet. Altare tam fixum quam portatile execratur, si ara frangitur enormiter, id est, si pars fracta unam licet contineat ex lateralibus crucibus ab Episcopo in altaris consecratione specialiter benedictis (Gardellini in nota ad decretum n. 4577); si frangitur sepulcrum vel ejus operculum, aut hoc tantummodo amovetur, non autem si frangitur aut amovetur sigillum. Insuper execratur altare fixum, si amovetur lapis ab inferiori structura.

Nova consecratione reconciliatur altare quod execratum est ratione confracti sepulcri ejusve operculi, aut ratione amoti lapidis a structura.

§ III.

Pollutio et Reconciliatio.

204. Veneranda templorum sanctitas haud deterret quandoque homines ab ipsis vel injuriosis maxime facinorosisque in eis dem patrandis actionibus. Quamquam equidem, physice loquendo, sacra a profanis et turpibus coinquinari non possint, arg. *c. vestra, de cohabit. clericor. et mul.*, tamen ratione habita praecipuae destinationis templorum, oblationis videlicet Immaculatae Hostiae, scelera quaedam, cum ibi patrata esse publice innotuit, tantopere usui illi sacro repugnant, ut ante divina in tali templo celebrare quam pollutio sublata sit, tum indignum

reputetur communi fidelium existimatione, tum prohibeatur apertis Ecclesiae legibus.

Art. I.

Pollutio.

205. Contaminatio itaque templi per publica quaedam delicta, pollutio ecclesiae vocatur. Expiatio pollutionis, sacro quodam ritu peracta, reconciliatio ecclesiae dicitur.

Pollutionis templi, dum expurgatum non est, effectus sunt: non posse in eo missae sacrificium aut alia divina officia celebrari (*can.* 1. 11. 14. *de cons. d. I. et cap. fin. de cons. eccl.*); immo, »si sacerdote celebrante violatur ecclesia ante canonem, dimittatur Missa; si post canonem, non dimittatur. »*Rubr. Miss. tit. de def.*, — deinde non posse in eo sepeliri, nec in coemeterio contiguo, (*cap. un. de cons. eccl. in* 6.); — tandem polluta esse altaria fixa, quae pars ecclesiae sunt, non vero altaria portatilia, ita ut his, in aliam ecclesiam translatis, uti liceat.

206. »Templum multipliciter potest pollui. Primo, si in eo homicidium voluntarium perpetretur, *cap. Proposuisti, de cons. eccl.* Secundo, si in eo magna vis humani sanguinis effundatur, *can. Ecclesiis. de cons. d. I.* et *cap. Si ecclesia. de cons. eccl.* Tertio, si in eo sponte effundatur semen humanum, ut videre est in allatis textibus, sive effusio sit secundum naturam, sive contra, sive per copulam alias licitam, sive per illicitam, juxta communem sententiam. Quarto, si excommunicatus vitandus in eo sepeliatur, *cap. Consuluisti. de cons. eccl.* Quinto, si in eo itidem sepeliatur ethnicus, vel infide-

lis, *can. Ecclesiarum. de cons. eccl. d. I.* Bened. XIV *De Sacrif. Missae l. 3. c. 7. n. 4.*

»Si quis in templo polluto, seu violato, Missam celebret, nullam poenam incurrit, non suspensionem, non excommunicationem, non irregularitatem, *cap. Is qui. De sent. excom. in* 6,... expers tamen peccati [gravis secundum plures Doctores, v. S. Lig. *l. c. n.* 361] non est, cum textus allatus dicat, eum *temerarie agere;* ad quae verba notat Sylvius in 3. *p. q.* 83. *a.* 3. sacerdotem hunc *facere contra justam Ecclesiae prohibitionem in re gravi:* ex quo infert, si Episcopi consensus accedat, eum non peccare in templo polluto Missam celebrando." B. XIV *l. c.* Placuit, antequam explicarem uberius dicta crimina, uno conspectu proponere, quae de his doctissimus habet Pontifex Ben. XIV; quo duce, quo magistro, quum omnis error facile caveatur, ipsis ejus verbis totam, si fieri posset, exponeremus juris sacri disciplinam. Ad nostram nunc tenuitatem inviti descendentes, dictum esse animadvertimus, »Templum multipliciter *potest* pollui." Unanimi siquidem sententia Doctores non satis esse tradunt, delictum patratum fuisse, etenim publicum insuper esse, sive jure sive facto, postulant; petuntque argumentum ex *cap. Significasti. de adulteriis.* Quod caput, quamquam de uno adulterii crimine agat, reliquis tamen quoque delictis a Doctoribus applicatur. Idque recte facere videntur. Recensita enim crimina, in genere pollutionis, aequiparat lex; omnibus quum tribuat eumdem pollutionis effectum. Legis etiam ratio eadem prorsus vi caeteris accommodatur. Quae est, communis fidelium existimatio indignum reputans, ut in loco crimine adulterii contaminato, necdum sacra ablutione purgato, divinum sacrificium celebretur. Abest haec communis aestimatio donec res occulta est.

Atqui pari plane modo id in omnia recensita crimina valet. Quapropter locus est juris regulae: *ubi eadem ratio, ibi eadem est juris dispositio.*

208. Tradunt praeterea Doctores, delicta ista non tantum publica esse oportere, sed in sua etiam specie consummata; i. e. plane ea esse debent, quae lex postulat; non sufficit igitur mens committendi homicidium, effundendi sanguinem, etc, sed fuerit reapse homicidium voluntarie patratum, magna vis humani sanguinis effusa, caetera.

209. Quibus generatim de re dictis, singula crimina brevi attingere restat. Homicidium in templo voluntarium sit et injuriosum; — Sanguinis humani effusio, in templo causata, voluntaria sit, injuriosa, copiosa et culpabilis graviter.

Homicidium in templo, sanguinis effusio in templo causata Id est, utrumque delictum physice committatur in hominem, qui in templo consistat, quin requiratur, ut et ipse malefactor in templo sit, quin etiam postuletur, ex probabiliori et communiori sententia (v. s. Lig. *l. c. n.* 364), ut in templo sanguis effundatur, aut ipsa mors eveniat. Quapropter, si sauciatus extra templum (puta in porticu, in turri, in sacristia, in crypta, supra fornicem, in via), moritur in templo, aut ibi cruorem emittit, scelus in ecclesia non accidit, ecclesia ipso crimine non est foedata, nec polluta idcirco. Quod si vulneratus in ecclesiā, extra illam expirat, vel sanguinem fundit, crimen nihilominus commissum dici in ipsa ecclesia debet, scelestoque illo actu templum contaminatum. V. Reiff. ad tit. *de cons. eccl.* § 1. *n.* 19. 21.

Sequitur, *homicidium sit voluntarium, injuriosum; sanguinis effusio insuper copiosa et culpabilis graviter;* talia si non sint, nec sacris canonibus nec communi aes-

timatione locus sacrificio immolando indignus putabitur. Haec si furiosus quispiam, aut amens, aut plene ebrius in se ipsum vel in alium agat, aut si casu eveniant, minime sunt voluntaria; si ex justa sui defensione, servato moderamine inculpatae tutelae, minime injuriosa; si vero ex sententia judicis, tum voluntaria sunt, tum injuriosa loco sacro. Si medicus infirmo venam in ecclesia secat, palam est, gravem, de qua agitur, injuriam loco sacro non inferri. — Quod additum est: *sanguinis effusio copiosa sit*, locum sacrum pollui negat, cum ex percussione vel gravissima non funditur sanguis, vel sparguntur paucae guttulae tantum. — Postremum, *sanguinis effusio sit culpabilis graviter*, pollutionem eliminat, quoties percussio vel in se vel in circumstantiis appareat non grave peccatum, esto magna vis sanguinis effusa sit. Quod obtingit in pueris conflictantibus; in patre, in magistro, qui correctionis causa petulanti alapam ministrat; in quovis alio, qui, irreverentiae actionibus commotus, protervum valido ictu percutit.

210. Semen humanum in templo sponte effundatur, sive effusio sit secundum naturam, sive contra, sive per copulam alias licitam, sive per illicitam. *Semen humanum sponte effundatur.* Quare si dormienti in templo id contingit, licet voluntarie in causa, aut invitus quis effusionem patitur, ipsa effusio sponte quum non fiat, pollutioni ecclesiae non est locus. — Quae sequuntur: *sive effusio sit secundum naturam, sive contra, sive per copulam alias licitam, sive per illicitam*, hic notatione non indigent; id unum animadvertamus, Doctores tradere passim, non pollui templum per copulam alias licitam, si conjuges tempore belli, vel ex alia ratione diu cohabitare in ecclesia debeant. V. Reiff. *l c.*

211. Qui in templo sepelitur, sit excommunicatus vitan-

dus, aut ethnicus vel infidelis. *Excommunicatus vitandus;* id est, publice denuntiatus, aut notorius clerici percussor. Ea propter ex sepultura simpliciter excommunicati, licet majori excommunicatione, non polluitur templum. — *Ethnicus vel infidelis;* id est, ethnicus vel quis alius non baptisatus. Ergo haeretici vel schismatici baptisati, cum sepeliuntur in templo, non contaminant ecclesiam, ut reconciliatione egeat. Cum autem infans fidelium, natus quidem sed non baptisatus, in templo terrae mandatur, aliud videtur De Lugo, Reiff., Pirhing, Suarez, caeteris, templum scilicet pollui, quia sepultus vere infidelis est; aliud Engel, Wiestner, Schmalzgrueber, Leurenio, templum videlicet non pollui, quia censent legem, de qua agitur (*can. Ecclesiam, de cons. d. I*), non spectare infantes christianorum, etenim ex hujusmodi sepultura non reputat communis aestimatio magnam inferri irreverentiam ecclesiae. Eadem fere ratione, iisdemque argumentis, de sepultura catechumeni disputant.

212. Sola recensita delicta ecclesias polluunt, quum iis dumtaxat, nec praeterea ullis aliis, jura sacra polluendi vim attribuant. Sed de his *n.* 218 dicemus.

Art. II.

Reconciliatio.

213. Quum igitur aliquo ex recensitis sceleribus templa contaminata coram lege et hominibus sunt, expiari ea sacri canones jubent, ipseque postulat religiosus cultus, qui ecclesiis debetur, reverentiaque, quam fideles iis deferunt. Expurgatio polluti templi, servato ecclesiastico ritu peracta, reconciliatio ecclesiae appellatur.

214. Ut apte determinemus ad cujus muneris eccle-

siastici ministerium reconciliatio pertineat, distinctio ponenda est inter ecclesiam consecratam et benedictam. Soli Episcopo potestas est *consecratas* suae Dioecesis ecclesias, cum pollutae sunt, reconciliandi; contra vero simplici sacerdoti id omnino vetitum est, cui nec demandare id Episcopus valet (Ben. XIV *Epist. Ex tuis* § 11 et 12). Argumentum est in cap. *Aqua. de cons. eccl.* »Aqua per Episcopum benedicta Ecclesiam reconciliari posse per alium Episcopum, non negamus; per sacerdotes simplices hoc fieri de caetero prohibentes: non obstante consuetudine Provinciae Bracarensis, quae dicenda est potius corruptela." Sicuti autem solemnis ecclesiae consecratio, ita et ecclesiae pollutae reconciliatio a Summo Pontifice sacerdoti vel simplici jure demandatur (Epist. cit. *l. c.*); id autem cum facit, praescribere sacerdoti consuevit, ut aqua utatur ad hunc finem benedicta per Episcopum.

215. »Pollutas ecclesias, quas *sola benedictio*, non etiam consecratio sanctificavit, reconciliare cuique sacerdotum conceditur, adhibita lustrali aqua, citra ullam delegationis necessitatem: si Ecclesia non consecrata (inquit Greg. IX *cap. si eccl. de cons. eccl.*) cujuscumque seminis fuerit, aut sanguinis effusione polluta, aqua protinus exorcisata lavetur, ne Divinae laudis organa suspendantur" B. XIV *l. c.* § 11. Haec verba, *citra ullam delegationis facultatem*, antequae controversiae: »sitne sacerdoti ecclesiam benedictam sed pollutam reconciliaturo necessaria delegatio Episcopi", finem facere videntur; eamque probare sententiam, quae in rubrica Ritualis Romani »Ecclesiae violatae reconciliatio per sacerdotem ab Episcopo delegatum fiat hoc modo.." decentiam exprimi, non praeceptum dari putabat. Doctores inter se contendentes exhibentur a Passerino, *de Ecclesiae reconcil. disp.* 2. *c.* 1. Videatur etiam S. Lig. *l. c. n.* 363.

216. Ritum reconciliationis ecclesiae consecratae proprium S. Sedes praescripsit in Pontificali Romano; ecclesiae benedictae in Rituali Romano; nec quibusvis aliis precibus aut actionibus, ipsi vel SSmo Sacrificio, vim efficiendae reconciliationis concessit. Quare sicut ecclesia minime consecratur aut benedicitur, nisi adhibitis statutis a S. Sede caeremoniis, ita pollutae non reconciliantur nisi servatis ritibus ad eum finem praescriptis a Romano Pontifice. Quum autem in consecratione reconciliatio contineatur, hinc si consecrari contingeret ecclesiam pollutam, reconciliata tuto diceretur. V. Passerin. *l. c. disp.* 3. *c.* 5.

217. Quam primum reconciliata ecclesia est, omnes sublati sunt ex pollutione producti effectus, ita ut denuo missae sacrificio, caeteris divinis officiis peragendis, sepeliendisque fidelibus in coemeterio contiguo, pateat; et arae ex violatione templi pollutae reconciliatae sint. *cap. un. de consecr. eccl. in* 6.

218. Temporum infortunio hominumque malitia haud infrequenter accidit, inferri ecclesiis catholicis sacrilegam injuriam per alia scelera quam quae exposita hactenus sunt. Et ista breviter attingere debemus. Pone adhibita fuisse templa in locum rixarum et tumultuosi certaminis, in exercitium cultus haereticorum aut schismaticorum, in hospitium militum, in popinas, in officinas, in stabula, nec percrebuisse vel famam ullius ibidem patrati ex ante dictis sceleribus. Minime indiget talis ecclesia reconciliatione, quam jura sacra memorant. Attamen sensui pietatis et religionis admodum congruere videtur, prius, designato reconciliationis ritu, expiari templum a profanationis macula, quam sacrificium sanctissimum in eo immoletur. Durandus quidem in *Rationali l.* 1. *c.* 6. *n.* 41 haec comprobans ita scribit: »Cum casus isti non sint in jure expressi, necesse non est ecclesiam per

Episcopum solemniter reconciliari. Honestum tamen fore putamus, cum aqua exorcisata Episcopi jussu lavari.. nec esset forte malum eam in tali casu solemniter per Episcopum reconciliari." V. etiam Layman *de sacrif. Missae l.* 5. *tr.* 5. *c.* 5. *n.* 13. et Busenbaum apud S. Lig. *l. c. n.* 367. Quod Durandus »forte malum non esse" opinatur, id menti S. Sedis accommodatum ostenditur ex S. C. R. decreto in Carpen. 3 Martii 1821 n. 4577 »Canonicus Bonaventura Bernardi, Vicarius Capitularis Dioecesis Carpensis.., exponit quomodo transeuntes per hanc Civitatem copiae Austriacae stationem fecerunt in diversis hujus urbis ecclesiis, quarum tres sunt consecratae. Milites in iis dormierunt. et incenderunt ignes; in aliquibus fregerunt altaria; in aliis habuerunt equos; adhibentes eas ad quemcumque usum, ceu exercitus solent. Vicarius.. recurrit ad pedes Sanctitatis Vestrae, ut dignetur ipsi dare opportunas instructiones et facultates, quibus possit ecclesias benedicere et sine mora aperire in commodum fidelium." S. Congregatio respondit: »Ex Audientia Sanctissimi. — Sanctissimus Vicario Capitulari oratori facultatem concedit, sive per se, sive per alios sacerdotes ab eo specialiter deputandos, reconciliandi Ecclesias consecratas, de quibus in precibus, servato ritu a Pontificali Romano praescripto adhibitaque aqua per catholicum Episcopum benedicta. Ecclesiae autem simpliciter benedictae ab eodem Vicario, vel a Sacerdotibus per eum designandis, reconciliari poterunt, juxta formam a Rituali Romano traditam. Quo vero ad Altaria cum integra lapidea mensa, quoties fractura sit enormis, mensa omnino renovanda, et ab Episcopo consecranda erit; secus licebit super iis celebrare, non obstante levi fractura in uno, vel altero cornu. Reliqua vero Altaria, sacrato tantum lapide instructa, si

lapis iste integer sit, violata minime censenda sunt, ac ubi primum reparationes, quibus indigeant, expletae fuerint, ad sacra Mysteria peragenda apta erunt. Caeterum Vicarius orator in Ecclesiarum reconciliatione exequenda prudenter se gerat, eamdemque private, et absque populi concursu fieri curet."

CAPUT VII.

LOCUS ET TEMPUS SACRIFICII.

219. Comprehendit hoc caput plures quaestiones; nimirum, quae loca missae celebrandae sacerdotibus, lege omnibus communi, pateant; et, quo loco sint lege speciali quaedam sacrificia litanda; insuper, quibus diebus sacerdoti missam peragere fas sit, et, quibus sacrificare obligetur; postremo, quae hora diei sacrificando vacet, et, qua hora, ex peculiari lege, quis debeat rei divinae operari.

§ 1.

Locus Sacrificii.

220. I. *Quae loca Missae celebrandae sacerdotibus omnibus, lege communi, pateant.* Ex antiquioribus Ecclesiae legibus missa celebranda erat in locis consecratis, vel in aliis ad id probatis Episcopo: »Missarum solemnia non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit, celebranda censemus." *can. Missarum. de cons. d. 1.* Novo autem jure offerri debet sacrificium

in templis (ecclesiis, oratoriis publicis, aut his lege paribus), quae Episcopus consecraverit, vel ipse saltem, aut sacerdos aliquis mandato Episcopi benedixerit. Celebrari etiam potest in privatarum domuum sacellis, sed impetrata venia Sedis Apostolicae. Interdum etiam peculiaribus in adjunctis accidit, ut incurrente necessitate, extra templa et privata oratoria celebrari possit.

221. Prisca, diximus, Ecclesiae disciplina sacerdotibus praescribebat sacris operari in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi celebrari Antistes permisisset. Sed praeterea Regularibus, ob praeclara in Ecclesiam merita, Honorius III indulserat, ut sine ullo Praesulis assensu »ubicumque fuerint.. cum altari valeant viatico celebrare." *cap. In his. de privilegiis.* Mansit haec disciplina, quae, dum initio salutaris erat, debilitata fide languenteque charitate plurium damnorum occasio sensim facta est, ad sacrosancti Tridentini Concilii tempora. Ingens admodum ea aetate numerus erat capellarum in laicorum domibus, ubi impetrata Episcopi venia divinum sacrificium offerebatur; ingentia etiam spiritualia damna ex Praelatorum benevolentiae atque Regularium obsequii abusu nimio nata. Negligebat magna laicorum multitudo praedicationem et institutionem sacram in ecclesiis. Quae res ipsis causa exstitit oblivionis legis christianae. Deflectebant clerici, capellis istis addicti, ab institutis praeceptisque sacerdotalis status, utpote ad obsequia quaeque profana optimatibus deferenda coacti Ex quibus aliisque malis contigit, ut in Tridentino Concilio ipsi Episcopi postulaverint antiquam disciplinam mutari. (V. van Gameren. *De Oratoriis publicis et privatis cap.* 3.) Propterea *sess.* 22 in *Decreto de observ. et evit. in celebr. Missae* Concilii Patres legem dederunt arcendis abusibus, malisque depellendis, consentaneam. Prohibent sacerdo-

tibus tam saecularibus quam regularibus sacrificium offerre privatis in domibus, permittunt celebrare dumtaxat in ecclesiis et ad divinum tantum cultum dedicatis oratoriis. Habet decretum: »neve patiantur [Episcopi] privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc sacrificium a saecularibus aut regularibus quibuscumque peragi." Attribuit dein Episcopis delegatam Apostolicam potestatem in refractarios: »Haec igitur.. ut delegati Sedis Apostolicae prohibeant..."; rejicitque cuncta obstacula legis executioni contraria: »non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus ac consuetudinibus quibuscumque."

222. Sed singula legis verba consideremus, ut quae sit ejus vis clarius patescat.

In principio dicitur: »*neve patiantur* [Episcopi] *privatis in domibus.* Per haec verba, inquit Pontifex Benedictus XIV in Constit. *Magno cum animi dolore* § 11, edita ex Arce Gandulphi die 2 Junii 1751, tollunt et abrogant Concilii Patres facultatem Episcoporum »concedendi usum Oratoriorum privatorum in domibus laicorum, causa in iisdem Missam celebrandi; cum licentia, quae ab ipsis daretur celebrandi Missam in Oratoriis privatis, neutiquam stare possit cum praecepto a Concilio eisdem ipsis imposito, ne id permittere debeant." Jamque ante Benedictum declaraverat Pontifex Paulus V in Encyclica anni 1615 ad omnes Episcopos: »facultatem hujusmodi licentias dandi, ipsius Concilii Decreto, unicuique ademptam esse, solique Beatissimo Romano Pontifici esse reservatam." Quum autem nonnulli, quod in recenti memoria est, Episcopis attribuerent, ut ad tempus, seu pro actu transeunte, in oratoriis privatorum Missam

permittere possint, Sacra Congregatio Concilii decrevit: »non licere ulli Episcopo hujusmodi licentias quocumque sub obtentu concedere, ne pro actu quidem mere transeunte; hanc facultatem esse soli Romano Pontifici reservatam." (Causa Monasterien. 23 Jan. 1847) Nihilominus superest locus quaestioni, possintne sacrorum Antistites, cum justa causa invenitur, ejusmodi copiam, pro actu transeunte saltem, indulgere. De qua re S. Lig. *l. c. n.* 359. hunc in modum scribit: »Dub. 2. An Episcopi possint dispensare, ut aliquando celebretur in oratorio domus privatae? Negant Mazotta et..; sed probabilius, et communius alii affirmant, modo accedat rationabilis causa, et licentia celebrandi non detur permanenter, et per modum habitus, sed per modum actus, nempe tali justa causa interveniente." Fuit ipsa haec S. Lig. sententia proposita S. Congregationi Concilii, ab eademque per Episcopum Calatajeronensem petitum: »1. An Episcopus possit, justa interveniente causa, facultatem concedere celebrandi in oratoriis privatis in casu?" Die 20 Dec. 1855 Congregatio respondit: »Ad 1. Negative, nisi tamen magnae et urgentes adsint causae, et per modum actus tantum." V. Lucidi *l. c. vol.* 1. *p.* 97. De hac quaestione copiose disputat Van Gameren *l. c. cap.* 3.

223. Sancta Sedes Apostolica, quum oratorii privati gratiam concedit, haec in Litteris indulti praescribere solet: »Oratorium scilicet parietibus, per quos ab omnibus aliis domesticis usibus segregetur, extructum esse debere; idem prius vel ab Episcopo, vel ab alio, cui ipse vices suas delegaverit, visitandum esse, inspiciendi gratia, num decens, et apte compositum sit, et num aliquid eorum, quae necessaria sunt, in eodem desit; ut Episcopus sit, qui celebrandi Missam licentiam impertiatur, et quod licentia hujusmodi secundum rationabile

illius arbitrium perduret, nec plures in die, sed unica tantum Missa in Oratorio celebretur; et quod haec Missa celebretur a Sacerdote vel Saeculari, vel Regulari, dummodo saecularis ab Episcopo approbatus sit, Regularis autem licentiam habeat a suo Regulari Superiore; ne Missa celebrari possit diebus solemnibus Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis D. N. Jesu Christi, et aliis solemnioribus diebus, quos inter etiam annumerantur dies Epiphaniae et Ascensionis Domini, Annunciationis, et Assumptionis B. Mariae Virginis, Omnium Sanctorum, necnon Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Titularis Ecclesiae loci: Exprimuntur personae, quarum praesentia necessaria est, ut in privato Oratorio Missa celebrari possit; aliae item, quae, dum supradictis praesentibus Missa celebratur, eidem interesse possunt, et Ecclesiastico praecepto satisfacere; denique declaratur, omnia sine parochialium jurium praejudicio fieri debere." Const. *Magno cum animi dolore* § 12. Atque haec sunt, quae in consuetis Oratoriorum Brevibus continentur. Quaedam vero alia expediri contingit Brevia, quae extraordinaria sunt, ut, exempli gratia, celebretur etiam diebus exceptis § 13; quam gratiam si dederit Summus Pontifex, tres Missae in die Natalitio Christi Domini a sacerdote celebrari possunt, licet unica tantum Missa singulis diebus in Indulto permittatur § 18. Nefas est, extra casum necessitatis, in oratorio privato Baptismum conferre, praeterquam filiis Regum et Principum (*Clem. un. de bapt. et ejus effectu*) § 19; Poenitentiae sacramentum administrare, nisi ex causa rationabili (Rit. Rom.) § 20; Communionem Paschalem distribuere (*cap. Omnis utriusque sexus, de poenit. et remiss.*, et, Trid. Conc. *sess.* 13. *cap.* 8. *can.* 10) § 21; extra paschalem vero Communionem dare

SS. Eucharistiam licet, cum Episcopus id permiserit § 23.

224. *Privatis in domibus* (tam laicorum quam clericorum) celebrari sacrificium quum Episcopi permittere prohibeantur, ea lege nullatenus potestate privati sunt, ut in domibus publicis, in locis religiosis et piis, Missam litari sinant; qualia sunt, Episcoporum palatia, conventus regularium, seminaria, hospitalia, carceres, caetera.

225. Addunt Patres: *atque omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria ab eisdem Ordindriis designanda et visitanda.* Repudiatis itaque privatarum domuum oratoriis, decretum loca ostendit ad celebrandum sacrificium Patribus probata Sunt, ut decernit lex, ecclesiae, et oratoria, quae unice divino cultui dedicata et per Episcopos (per se vel per alium) ad sacrificium designata et visitata fuerint.

Ecclesiarum nomine intelliguntur templa cathedralia, collegiata, parochialia, conventualia. Sed in alias insuper aedes sacras nomen istud valet. Nam S. R. C. interrogata in causa Ruremundensi: »Quid intelligendum sit per Ecclesiam et Capellam publicam?", respondit: »Ecclesia intelligitur, quae eo potissimum fine aedificatur, ut publico fidelis populi usui deserviat. Capella publica vero, quae licet ingressum habeat in publica via, attamen non tam fidelis populi usui destinata videtur, quam alicujus familiae vel collegii commoditati." Ex quo intelligere par est, quid respici debeat, cum jus est dicendum, sitne cuipiam templo nomen aut oratorii publici aut ecclesiae proprium.

Oratoria, ex ordinatione Concilii Sacrificio Missae accommodata, sunt primum ea, quae publica vocantur, aedes videlicet sacrae, ad divinum tantum cultum dedicatae et ab Episcopo designatae, quae aditum habent in

via publica et cuivis e populo patent. Deinde, oratoria ad divinum tantum cultum dedicata et designata ab Episcopo, in domibus non privatis, seu publicis (V. Fagn. in *cap. auctoritate. de censib. n.* 23. *sqq.*); nimirum, in palatiis Episcoporum, monasteriis, seminariis, hospitalibus, carceribus, hujusmodi aliis. In hisce domuum publicarum oratoriis domesticis sacerdotes missam celebrare, et populus assistens praecepto audiendi missam satisfacere potest; quod communiter Auctores docent. Non potest tamen pro cujuslibet arbitratu, talium domorum quaevis pars ad celebrandum eligi. Sacrificiis offerendis aptae tunc demum sunt, quum, ut exigit decretum, ad divinum tantum cultum dedicatae, designatae ab Episcopo et visitatae, seu approbatae fuerint. Usus autem, quod attinet ad domos Regularium, ortus tum ex privilegiis a S. Sede concessis, tum ex privilegiorum communicatione, tum ex Episcoporum tacita delegatione aut tolerantia, is est, ut oratoria ad divinum cultum deputentur per superiores Regulares. V. Giraldi ad *Decret. sess.* 22. *tom.* 2. *pag.* 905 *sqq.*

226. Pergunt Patres: *sanctum hoc Sacrificium a Saecularibus aut Regularibus quibuscumque peragi;* et, attributa Episcopis Apostolica delegata potestate, qua inobedientes coerceant, decretum hac clausula absolvunt: *non obstantibus privilegiis exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque.* Sicque aperta lege prohibent, ne Saeculares aut Regulares in domibus privatis et extra ecclesiam et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab Ordinariis designanda et visitanda, celebrent, simulque tollunt quaecumque hujus legis accuratae et universali observantiae nocere possent, quibus annumerari debet privilegium altaris viatici, quo Regulares ubique locorum celebrare poterant, nam et istud

privilegii genus Patres Tridentinos sustulisse testis est Pontifex Benedictus XIV in *cit Const.* § 29 et 30. Post Tridentinum Concilium Sedes Apostolica regularibus quandoque concessit indultum altaris portatilis, sed »in iis locis, ubi Ecclesiae non sunt, aut si sunt, talis haereticorum potestas est, ut in easdem Catholici non sine gravi periculo ad audiendam Missam convenire possint." *l. c.* § 31.

227. *Episcoporum et Cardinalium facultates.* Propositi decreti verba: »neve patiantur [Episcopi] privatis in domibus.... sanctum hoc Sacrificium a Saecularibus aut Regularibus quibuscumque peragi", satis manifeste significant, legem non respicere oblationem Sacrificii ab Episcopis, eorumque Superioribus (dignitate et officio), Cardinalibus, peragendam; non abrogari proinde jus circa sacella in Episcoporum palatiis, nec tolli altaris portatilis privilegium Sacrorum Antistitibus atque S. R. E. Cardinalibus impertitum. Idque dubitari non posse Sacra Congregatio Concilii Tridentini suis decretis saepe numero definivit. Unum proponere juvat: »Sacra Congregatio etc censuit, Cardinales non secus ac Episcopos sine ulla Episcopi Dioecesani licentia uti posse privilegio Altaris portatilis ad praescriptum Constitutionis fel. rec. Bonifacii VIII quae incipit: Quoniam Episcopi; nec hujusmodi privilegium sublatum fuisse Concilii Decreto cap. unic. sess. 22." (Apud B. XIV *De sacr. M. l. c. n.* 5). Idemque Const. *Magno cum animi dolore* perspicue declarat; ait enim § 2 juri Episcoporum circa sacella in Episcopalibus palatiis S. Tridentinum Concilium nulla ratione derogasse, quum haec sub privatarum domorum nomine numquam censeri possint; et § 5. docet, nihil pariter privilegio per Bonifacium VIII concesso detractum fuisse, cum »in Concilio.. sublata quidem Episcopis facultas fuerit, qua aliis licentiam in privatis domi-

bus Missam celebrandi concedere possent, verum nequaquam juribus illis expoliati remanserint, quae proprias personas respiciunt, quaeque eorum dignitatis, atque characteris propria sunt."

Privilegium altaris viatici, quod Cardinalibus et Episcopis Bonifacius VIII largitus est, continetur in *cap. quoniam, de privilegiis in* 6. »Praesenti constitutione indulgemus iisdem, ut altare possint habere viaticum, et in eo celebrare, aut facere celebrari ubicumque absque interdicti transgressione illis permittitur celebrare, vel audire divina." »Dignum, inquit Const. *Magno* § 4, animadversione verbum est, *ubicumque*, quod quidem procul dubio loca etiam, quae extra Dioecesin sunt, comprehendit." Est itaque hujus privilegii potestas, ut Episcopi et Cardinales in altari portatili celebrare aut celebrari facere possint tum in domibus privatis tum non privatis, tum in Dioecesi tum extra Dioecesin, quin veniam petere ab Episcopo locali teneantur. *l. c.* § 5 et 8.

228. Quamquam Tridentina Synodus intactum integrumque istud privilegium esse jusserit, abusus tamen effecit, ut postea temperamentum eidem apponere coactus fuerit Romanus Pontifex Clemens XI. Quapropter hodiedum ex privilegio Bonifacii VIII in *cap. Quoniam*, ex Clementis XI decreto *Nonnulli Episcopi*, et Innocentii XIII litteris declaratoriis *Apostolici ministerii*, Episcopis atque Cardinalibus licet, in domo propriae ordinariae habitationis erigere altare viaticum et in eo celebrare sive celebrari facere, sed in domibus laicis tantum cum occasione visitationis vel itineris ibi hospitio excipiuntur, aut in casibus a jure permissis, aut de speciali Sedis Apostolicae licentia, in aliena domo habitant: »Declaramus, inquit Innoc. XIII *l. c.*, quod cum in praedicto decreto [Clementis XI] statueretur, non licere Episcopis

extra domum propriae habitationis in domibus laicis erigere Altare, ibique sancrosanctum Missae Sacrificium celebrare, sive celebrari facere, hujusmodi prohibitio intelligenda non sit de domibus etiam laicis, in quibus ipsi Episcopi forte occasione visitationis, vel itineris hospitio excipiantur, et nec etiam quando Episcopi in casibus a Jure permissis, vel de speciali Sedis Apostolicae licentia, absentes a domo propriae ordinariae habitationis, moram idcirco faciant in aliena domo per modum similis habitationis; his enim casibus licita eis erit erectio Altaris ad effectum praedictae celebrationis, non secus ac in domo propriae ordinariae habitationis." V. Const. *Magno* § 6. 7. et *De Sacrif Missae l. c. n.* 6. Quod si in domo, ubi morantur, invenitur oratorium privatum, cum clausula unicae singulis diebus missae concessum, possunt nihilominus Episcopi, illaeso jure indultariorum, privilegio suo uti; quod permisit et statuit Pius Papa VII in decreto, de quo statim dicemus. Fruuntur proposito privilegio altaris portatilis Episcopi electi et confirmati a Summo Pontifice, licet non adhuc consecrati (Fagnanus *c. Quod nonnullis n.* 15 et 23. *De privilegiis*), nam confirmatio reapse confert episcopalem dignitatem cum omnibus illis praerogativis, quae a dignitate ipsa derivant neque ordinis potestatem requirunt; atqui hujusmodi profecto existit usus altaris portatilis (Van Gameren *l. c. c.* 4). Dicto altaris portatilis jure gaudent etiam Episcopi Titulares (in partibus infidelium V. B. XIV. De S. D. l. 2. c. 7); nam S. C. R. die 22 Aug. 1818 ad quaestionem: »An Episcopus Titularis possit, sine speciali rescripto, erigere Altare ubicumque vult, etiamsi in domo habitationis suae jam existat capella ad usum suorum parentum?" respondit: »Ad 1. Affirmative, verum consulendum SSmo pro extensione privilegii, videlicet quod Episcopi, in casibus

a jure permissis, hospitantes domi vel parentum, vel extraneorum, qui gaudent indulto Oratorii domestici, possint et valeant in eodem celebrare vel celebrari facere, loco et vice arae portatilis, quam tantum extra dioecesim indulget Bonifacius VIII." Porro annuisse Pontificem Pium VII S. Congregationis voto, notatur in fine decreti. V. apud Gardellini *n.* 4547.

229. Haec de locis, ubi Altare viaticum erigi potest ab Episcopis. Ad numerum missarum quod attinet, quum Bonifacius VIII indultum, de quo agimus, concesserit, quoniam Episcopi non »semper possunt commode ad ecclesiam accedere pro Missa celebranda *vel* audienda in ipsis, sine *qua* eos transire non decet absque rationabili causa ullam diem", et Clemens XI atque Innoc. XIII licere dicant, occurrentibus dictis casibus, »sacrificium celebrare *sive* celebrari facere", privilegium unam tantummodo videtur permittere missam, ab ipso Episcopo, aut, eo mandante, ab alio in ara portatili celebrandam. Sed indulsit Pius Papa VII, ut propria celebrata Episcopus possit aliam, cui assistat, permittere. Quod proposito S. C. R. decreto docemur; nam ad quaestionem 2. »An possit ultra suam aliam facere celebrari Missam?" respondit: »Ad 2. Negative, verum consulendum Sanctissimo pro extensione privilegii quoad unicam Missam, quam, propria celebrata, Episcopi solent audire." Idque SSmo D. Pio Papae VII peragere placuisse decretum renunciat. — Si, ut modo animadvertimus, in oratorio privato privilegiato vult celebrare, non impeditur duplicis istius missae celebratio neque diebus in indulto exceptis, neque unicae missae praecepto, quam indultarius celebrari fecit: 4. »An possit celebrare vel facere celebrari in diebus excipi solitis in Apostolicis Indultis? Ad 4. Affirmative." 5. »Si in domo ubi parentes qui jam gaudent Oratorio privato, celebrari

fecerunt Missam, an possit ipse Episcopus facere celebrari alteram Missam, ultra suam? Ad 5. Provisum in 1 et 2."

Utrumne autem, qui die festo missis iis assistunt, quas Episcopus, privilegio suo utens, celebrat et celebrari facit, praecepto Ecclesiae satisfacere possint, idem decretum docet: 3. »An dicta Missa seu Missae valeant ad implementum praecepti etiam pro suis parentibus secum habitantibus, et pro aliis personis, non modo suo servitio addictis, quamvis non necessariis in actu Missae, sed famulantibus etiam suorum parentum secum habitantium? Ad 3. Affirmative quoad familiares dumtaxat eidem Episcopo actu necessarios; Negative quoad reliquos."

Ad calcem exhibiti decreti nuntiatur: »Facta autem relatione de praemissis SSmo Domino Nostro Pio VII. Pont. Max., Sanctitas Sua Sacrae Congregationis responsa adprobavit, confirmavit et extensionem Privilegii, ut in responsione ad primum, et secundum ex propositis dubiis indulsit, contrariis non obstantibus. Die 25 ejusdem mensis, et anni."

230. *Casus necessitatis.* Decretum Tridentinum, quod vetat, ne quis alibi missam celebret, quam in ecclesiis et oratoriis publicis, praecipuam quamdam restrictionem habet, cum Missa, quae omnino celebranda est, non potest in ejusmodi locis offerri: nam eo in casu licet sacrificium ubique facere, dummodo locus, in quo fit nihil indecori habeat, et super petra consecrata celebretur. *De sacrif. Missae l. c. n.* 7. Exempla exhibet S. Lig. »I. Si Ecclesia sit diruta, ut dicitur in *can. Concedimus* 30. *dist.* I. *de cons.* II. Si quis sacerdos longam peragat peregrinationem per loca deserta, vel infidelium, ut habetur in eod. *can. concedimus.* III. Quando Ecclesia non est capax populi, ita ut multi Missa carerent. IV. Si

exercitus inveniatur in castris, aut navigantium multitudo in littore maris." In mari aut in fluvio celebrare non licet sine dispensatione apostolica; cujus vetiti ratio potissimum in periculo effusionis SSmi Sanguinis esse videtur. Non impertitur S. Sedes veniam offerendi Sacrificium in mari, nisi addita conditione, navis in anchoris consistat longeque sit a littore, tranquillum sit mare et celebranti quis adsit, vel sacerdos vel diaconus, qui, si quis cooriretur motus, quo periculum esset, ne calix everteretur, posset manu calicem ab hujusmodi periculo eripere. V. B. XIV Brevia *Exponi nobis* diei 15 Jan. 1742 et 28 Aprilis 1742.

231. *Quo loco sint lege speciali quaedam sacrificia celebranda.* Exiguo tempore, facilique opera, quod hic proponitur, absolvi potest, colligendo videlicet atque recensendo brevi, quae de Sacrificii loco praecedentibus in capitibus disputata sunt. Satis sit dicamus, ut sacrificare debeant curati, qui proprias oves habent, in ecclesia parochiali; canonici missam conventualem in Cathedrali aut Collegiata; et quisquis sit, cui locus praestitutus est, aut praecepto competentis superioris, aut voto vel promissis, aut fidelium dispositione, in loco ita designato. Existimandum autem generatim est, in illa potius ecclesia missas celebrari quemque fidelium velle, ad quam religionis et pietatis stimulis ductus, eleemosynas confert, aut in qua quispiam forte tumulatus est, quam in alia ecclesia, sibi prorsus ignota. V. B. XIV Const. *Quanta cura* § 2. Si missarum manualium numerus, quae celebrari optantur certo in altari aut ecclesia, expleri legitimo tempore eo loci nequeunt, praemonentur fideles, ut vel habeant patientiam vel alibi missas celebrari annuant.

§ II.

Tempus Sacrificii.

232. *Quibus diebus sacerdoti missam celebrare fas sit.* Inventi sunt haeretici, qui missas privatas damnantes, vehementer improbabant morem, quem servant sacerdotes, offerendi quovis die sacrificium. Fuerunt ex adverso quidam catholici, quibus visum est, certa lege obligari sacerdotes singulis diebus implere hoc munus. Verum nulla lex est, quae quotidie celebrare sacerdotibus aut vetat aut praecipit; tantummodo licitum est, piaeque consuetudini omnium saeculorum conveniens, quovis die sacrificare; »quia enim, inquit S. Thomas, fructu Dominicae passionis quotidie indigemus propter quotidianos defectus, quotidie in Ecclesia regulariter hoc Sacrificium offertur." *p.* 3. *q.* 83. *art.* 2.

233. Restringitur haec generalis facultas positiva ecclesiastica lege prohibente celebrari missas privatas tribus postremis majoris hebdomadae diebus. Tempus peractae redemptionis est, sed et magni moeroris, quo peculiari affectu recordamur dicti Apostolici: »Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum"; luctusque causa abstinetur a sacrificiis; »non enim ita gaudere debemus de gratia tradentis, vel de charitate morientis, ut non etiam doleamus, quod tanto Domino tormentorum et mortis causa fuimus. Si quidem non gaudere ingratitudinis, non dolere autem crudelitatis est." Abbas Rupertus apud B. XIV De S. M. *l.* 3. *c.* 3. *n.* 9.

234. Disceptarunt olim de hac prohibitione Doctores; sed conticuit hodie disputatio, quum decreta S. C. Rituum, Apostolica auctoritate confirmata, diserte vetent,

ne quis diebus illis tribus celebret. V. B. XIV *l. c. n.* 10. Continetur eadem prohibitio decreto Clementis XI, diei 15 Martii 1712: »Postremo Sanctitas Sua declarat hac interdictione, quae feriae sextae ratione facta est, haud permittere, ut feria quinta, ac Sabbato ejusdem majoris hebdomadae sacra privatim instituantur, sed conventuale solummodo juxta ritum sanctae Ecclesiae, et plura decreta Sacrorum Rituum Congregationis."

235. Neque istud facere quidem licet, si illis diebus incidit fidelibus obligatio audiendi sacrum; ceu contingere potest ratione incurrentis festivitatis S. Josephi et Annuntiationis B. Mariae Virginis. De quibus statutum est, ut cum feria V majoris hebdomadae incurrunt, Ordinarii locorum curam habeant aliquas missas privatas celebrari ante oblationem missae conventualis, ut populus praecepto audiendi sacrum satisfacere valeat. V. decreta S. C. R. 13 Sept. 1692 et 12 Sept. 1716; et B. XIV *l. c. n.* 10; item *Instit.* 38. *n.* 10.

236. *Quibus diebus sacerdos celebrare obligetur.* Sunt sacerdotes, qui singulis diebus missam offerre tenentur; sunt alii, qui diebus Dominicis et festis; alii aliis designatis diebus; omnes quater saltem vel quinquies per annum. Pluribus diversisque ex fontibus ea munia oriuntur, ceu ex lege divina et ecclesiastica, ex voto et promissione, ex superioris praecepto, ex voluntate fidelium; de quibus supra cumulate satis nos disputasse putamus.

237. *Quae diei hora sacrificiis vacet.* Missam non nocturno sed diurno tempore dici Ecclesia statuit; »quia, cum in Altaris ministerio immoletur Dominus Noster Jesus Christus, Dei Filius, qui candor est lucis aeternae, congruit, hoc non in noctis tenebris fieri, sed in luce." Paulus Papa III in *Bulla* 22. § 25.

Quamquam priscis etiam temporibus sacrificium in-

terdiu celebraretur, erant tamen Missae Vespertinae, quae offerebantur quibusdam per annum noctibus. Tempore S. Thomae usus etiamnum vigebat sacrificandi »sabbato sancto circa noctis principium; propter hoc quod Dominus nocte surrexit, id est, cum adhuc tenebrae essent, ante manifestum solis ortum." *p. 3. q. 83. a. 2. ad 4.* Justis de causis sublata est vetus consuetudo, manente universali more offerendi sacrificium ipsa nocte Dominicae Nativitatis, »propter hoc quod Dominus in nocte natus est," ut dicitur *de cons. dist. 1. can. Nocte;* manente insuper peculiari usu Venetiis in templis bene multis, atque Romae in Capella Pontificia, ante dimidium noctis Nativitatis Sacrum peragendi. V. *De Syn. Dioec. l. 6. c. 8.*

238. Horam celebrationis rubrica Missalis Romani diserte monstrat dicendo: »Missa privata saltem post Matutinum et Laudes quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest." *Missa privata*, nam pro conventualibus et solemnioribus Missis certa quaedam hora ex ejusdem rubricae praescripto definita est. *Ab aurora usque ad meridiem;* cui addidit Benedictus XIII facultatem, qua tertia pars horae ante auroram et post meridiem sacerdotibus permittitur. Quamobrem illicitum est, ni quis privilegium Apostolicum habeat, aut legitima causa excusetur, designatos limites excedere. V. S. Lig. *l. c. n. 343 sqq.*

239. *Qua hora, ex speciali lege, quis debeat rei divinae operari.* Imprimis pro missis conventualibus et solemnioribus Rubricae Missalis certam horam praescribunt. Beneficiatis, capellanis, aliis sacerdotibus, hora celebrandi non raro praestituta in fundatione est; in simplici legato missarum, in donatione etiam eleemosynae manualis quandoque definitum tempus assignatur. Quibus omnibus jussis presbyteri obtemperare debent, facturi

contra impositum susceptumque onus cum statutam horam non servant; de quo fecimus supra mentionem suis locis.

Ut festis diebus valeant parochiani commode Sacro assistere, Episcopi clero saeculari, et regulari parochiarum curae spirituali praeposito, imponere definitam Missae offerendae horam possunt; quae tamen propositis, Missalis Romani et Indulti Benedictini, temporis metis includatur, et beneficii juribus aut officiis non repugnet.

Quemadmodum Sancta Sedes Apostolica litandis sacrificiis aurorae et meridiei limites posuit, certamque Missis Pontificalibus et Conventualibus horam assignavit, atque in his aliisque temporis ordinationibus aliquando dispensat, ita tum Antistitibus sacris, tum sacerdotibus, omnibus et singulis, sacrificandi horas alias lege praeceptoque definire valet; etenim catholicae veritatis doctrina est, nuperime toto applaudente orbe denuo definita, quod erga Romanum Pontificem »cujuscumque ritus et »dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli »quam simul omnes, officio hierarchicae subordinationis, »veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus, »quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad »disciplinam et regimen ecclesiae per totum orbem dif»fusae pertinent." *Const. dogm. I de Ecclesia Christi.* Pius IX P. M. in *Concilio Oecumenico Vaticano sess. 4. c.* 3

In festo B. V. M. tit. Aux. Christ.

VIRGINUM VIRGO, BENEDICTA JESU
MATER, HAEC PRAEBE BONA TE PRECAMUR,
SIS PIO NONO DECUS ET LEVAMEN
REBUS IN ARCTIS.

